QUAESTIONES E SACRA SCRIPTURA EX LINGUARUM ORIENTALIUM...

Antonio Zanolini

Digitized by Google

6
2-a
24

Ex lib. Io. Allemand 1825

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
2 G
43

6-2-a-24

II-D-1.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

QUÆSTIONES
E
SACRA SCRIPTURA

Ex Linguarum Orientalium Interpretatione Ortæ.

AUTORE ANTONIO ZANOLINI

Juris Utriuſque Doctore, & in Seminario Patavino Linguarum Orientalium Lectore.

JUSSU, ET AUSPICIIS

EMINENTISS. ac REVERENDISS.

JOANNIS FRANCISCI
CARD. BARBADICI
EPISCOPI PATAVINI.

PATAVII, Typis Seminarii, MDCCXXV.
Apud Joannem Manfrè. *Super. permiſſu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Ad Lectorem.

SI experiundum alicui illud eſt, quot hominum capita, tot eſſe plerunque ſententias, ei certe exiſtimo, qui e privata umbra in publicam lucem proditurus ingenii, ſtudiorumque ſuorum ſpecimen, & exemplum proponit. Quam ob rem ſæpe ſolet accidere, ut qui nullo antea nomine commendatus ſe conſpiciendum publice offert, graviſſimam, ſeveriſſimamque cenſuram ſubire cogatur, credaturque vel a ceteris partam gloriam velle

Digitized by Google

ſuperare, vel ad inanem quandam ingenii oſtentationem in arenam deſcendere. Verum huic incommodo opportunum remedium comparatum eſt, quotieſcunque non ambitione compulſum, ſed eorum autoritate permotum publico conſpectui te commiſſum eſſe conſtet, quorum voluntati morem gerere debeas. Hac igitur honeſtiſſima, juſtiſſimaque cogitatione nos ſublevati quæſtiones quaſdam, quæ ex Linguarum Orientalium interpretatione naſcuntur, publico certamini exponimus, ut non ſolum, quanti hujuſmodi ſtudium faciendum ſit, patefiat, ſed etiam ſcholæ noſtræ privatæ quoddam quaſi ſimula-

crum

Digitized by Google

crum proponatur . Eſt profecto , quod divino Numini gratias quam maximas habeamus , nobiſque non mediocriter gratulemur , quibus contigit ea ætate vivere , qua ad Sacrarum literarum exactam , perfectamque intelligentiam nihil prorſus deſideretur . Jamdiu enim excuſſæ ſunt plus quam Cimmeriæ illæ tenebrę , quæ totum Chriſtianum orbem miſere occuparant , & pene obruerant ; tranſacta illa tempora calamitoſa , quibus *Græcum aliquid noſſe , fuiſſe ſuſpectum , Hebraice autem , prope hæreticum* memoriæ proditum eſt ; amandata luctuoſa eorum ſeculorum ignorantia eſt , cum periculoſum eſſet ſupra vulgus

 ſa-

ſapere, & commendatione aliqua virtutis, & literarum in publicam lucem emergere. Nimirum viri eruditi, morumque probitate conſpicui ſenſim prodierunt, qui nullis ſumtibus, nullis laboribus parcentes ea nobis ſubſidia, & adiumenta compararunt, quibus intimum Sacræ Scripturæ ſenſum poſſemus ipſi introſpicere, & eundem poſtea verum, germanumque aliis etiam explicare. Nihil jam eſt intentatum relictum, quod ad Sacras literas illuſtrandas pertineat; inſtauratæ pene omnes Orientis linguæ, Judæorum monumenta excuſſa, antiqui moris cognitio renovata, quęque vel vetuſtate, vel tempo-

rum

Digitized by Google

rum injuria interciderant, in priſtinum ſtatum omnia reſtituta. Nihil ſeduli, & induſtrii Eccleſiæ Doctores prætermiſere; Theodoretus, Hieronymus, Auguſtinus, Baſilius, Ambroſius, Epiphanius, & alii ſexcenti ea omnia tractarunt, quæ ad Sacrarum Scripturarum perfectiſſimam cognitionem ſatis ſuperque eſſe poſſint. Sibi igitur in poſterum culpæ tribuat, qui, cum tot adiumentis, atque ſubſidiis abundet, admirandam ſtyli Scripturarum profunditatem, peculiaria dictionis genera, locos difficiliores, atque obſcuriores quodam negligentię quaſi veterno occupatus penitus intelligere contemnit. Quæ enim,

Digitized by Google

nim, malum, dementia eſt, cum fontem ipſum adire poſſis, ad Interpretes potius confugere, quorum alii tanquam cæci de coloribus judicant, alii de induſtria in Sacram Scripturam violentas manus injiciunt, alii pernicioſorum dogmatum probationes ex ea deſumunt, alii profanarum rerum teſtimonio ſacra corrigunt, alii denique pro arbitrio ad alia quælibet malitioſe dilabentes mentem Spiritus Sancti, genuinam Sacræ Scripturæ interpretationem detorquent? Difficile quidem, non inficior, negotium iſtud eſt, neque omnibus ingeniis accommodatum, nonnulliſque propterea deſpectui habitum; quas

ta-

tamen linguas, ſi ſerio perpendas, gemmis venuſtiſſimis comparaveris, quæ quandiu abditæ latent conchæ tegumentis, atque involucris, quia neque pulcritudinem, neque nitorem oſtentant, a multis negliguntur; e concha vero eductæ illuſtri ſplendore omnium animos capiunt, commovent, & in ſui admirationem pertrahunt vel invitos. Harum pretium ſenſere Pontifices Clemens V., Paulus V., Gregorius XIII., qui in Academiis, & collegiis Linguarum Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, Græcæ Profeſſores publice alendos decreverunt, ut contra Judæos, & Heterodoxos firmiſſimum

tutamen, & præſidium exiſterent. Senſit id etiam pro ſua quadam ſapientia, & ardenti in Eccleſiam ſtudio literarum noſtrarum prope divinus Parens VENERABILIS CARDINALIS GREGORIUS BARBADICUS, quaque erat humanitate Sacras Palęſtinæ Muſas profugas, & extorres domeſtico hoſpitio excepit, tutiſſimo loco poſuit, ſqualoremque detergens liberalitate, & munificentia pene incredibili complexus eſt. Hinc Patavina Civitas tanto ejus beneficio brevi audita eſt Hebraice, Chaldaice, Syriace, Arabice, Samaritice, Æthiopice, Græce loqui, habuitque deinde quæcunque Linguarum Orien-

rien-

Digitized by Google

rientalium monumentis conſignantur. Stet igitur æternum tanti beneficii immortale teſtimonium, ſtabitque procul dubio tantorum meritorum fama, atque adeo creſcet in dies, cum Patavinæ Civitati datum divinitus ſit ex eadem illuſtri Familia etiam id temporis habere Paſtorem, & Patronum CARDINALEM JOANNEM FRANCISCUM, qui ne latum quidem unguem ab avita pietate, religione, munificentia, ceteriſque virtutibus diſcedens docet exemplo ſuo BARBADICÆ GENTI fuiſſe ſemper hoc proprium, ut magna faciat, & magna ubique tueatur.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIONES
E SACRA SCRIPTURA

Ex Linguarum Orientalium Interpretatione ortæ,

Quæ hoc volumine continentur.

I. NOmen Tetragrammaton יְהֹוָה pronunciandum eſt per *Adonai*, non per *Jehovà*. pag. 1.

II. Geneſ. cap. 2. v. 2. *Et complevit Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat*. Verſio LXX, quæ habet, *complevit Deus die ſexto*, optime expreſſit ſenſum textus Hebraici. 7.

III. Geneſ. cap. 3. v. 1. *Et ſerpens erat callidior cunctis animantibus agri, quæ fecerat Dominus Deus, & dixit ad mulierem*. Serpentis colloquium cum Eva verum fuit, & vero ſerpente diabolus uſus eſt ad ſeducendam Evam. 10.

IV.

Digitized by Google

IV. Geneſ. cap. 3. v. 8. *Et audiverunt vocem Domini Dei ambulantis in horto ad ventum diei*. Per verba לְרוּחַ הַיּוֹם *ad ventum diei* intelligitur tempus veſpertinum. 17.

V. Geneſ. cap. 3. v. 15. *Et ſimultatem ponam inter te, & inter mulierem, & inter ſemen tuum, & ſemen illius; ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus*. Textus Hebraicus convenit cum Vulgata. 20.

VI. Geneſ. cap. 3. v. 21. *Et fecit Dominus Deus Adam, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos*. Textus hic proprie, non allegorice intelligendus, ut multi arbitrantur. 23.

VII. Geneſ. cap. 5. v. 3. *Et vixit Adam centum, & triginta annos, & genuit in ſimilitudine ſua ſecundum imaginem ſuam*. Textus Hebraicus in Chronologia Patriarcharum non eſt corruptus. 31.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Geneſ. cap. 6. v. 3. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt: eruntque dies illius centum & viginti annorum*. In hoc textu non determinatur ſpatium vitæ humanæ poſt diluvium, ſed ſpatium pœnitentiæ. 34.

IX. Geneſ. cap. 11. v. 1. *Et fuit omnis terra labii unius, & ſermonum eorumdem*. Lingua Hebraica fuit omnium prima, & antiquiſſima. 39.

X. Geneſ. cap. 11. verſ. 12. *Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale*. Cainan omnino eſt expungendus ex Patriarcharum genealogia. 45.

XI. Exodi cap. 2. verſ. 10. *Et vocavit nomen ejus Moſes, & dixit, quia ex aquis extraxi eum*. Nomen Moſis derivatur a radice Hebraica מָשָׁה *extrahere*. 49.

XII. Exodi cap. 4. verſ. 24. *Et fuit*

in

in via in diverſorio, *&* *occurrit ei Dominus*, *&* *quæſivit eum interficere*. Improbanda eſt ſententia illorum, qui aſſerunt, Angelum voluiſſe interficere non Moſem, ſed filium Moſis. 53.

XIII. Exodi c. 12. v. 6. *Et ſit vobis in cuſtodia*, ſcil. agnus, *uſque ad quartam decimam diem menſis hujus*, *&* *mactabit illum univerſa multitudo domus Iſrael inter duas veſperas*. Agnum Paſchalem aſſatum Judæi comedebant, vi inſtituti divini, die decimo quinto *Niſan* h. e. *Martii* ineunte, non vero ineunte die decimo quarto. 56.

XIV. Exodi cap. 12. verſ. 29. *Et fuit in media nocte*, *&* *percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti*. Cædes primogenitorum in Ægypto non eſt facta immediate a Deo, ſed mediate per Angelum. 62.

XV. Exodi cap. 34. verſ. 29. *Et Moyſes ignorabat*, *quod cornuta eſ-*

ſet

Digitized by Google

ſet facies ſua, dum loqueretur cum eo. Rejicienda eſt ſententia illorum, qui ex eo, quod Vulgata reddiderit *cornuta facies*, Moſem revera cornua in fronte habuiſſe aſſerunt. 66.
XVI. Exodi cap. 38. verſ. 8. *Et fecit labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant ad oſtium tabernaculi*. Labrum factum fuit e ſpeculis, non ſpecula labro fuerunt affixa, vel undique eidem inſerta, ut nonnulli cenſent. 73.
XVII. Levit. cap. 8. verſ. 8. *Et aptavit illi*, hoc eſt Ephod, *rationale, & appoſuit rationali Urim, & Tummim*, vel, ut vertit Vulgata, *Doctrinam, & Veritatem*. Urim, & Tummim in pectorali Pontificis Maximi fuere quid diſtinctum a XII gemmis eidem pectorali inſertis. 77.
XVIII. Levit. c.16. v.8. *Et dabit Aaron ſuper duos hircos ſortes, ſortem al-*

alteram pro Domino , & ſortem alteram pro Azazel . Azazel ſignificat *caprum emiſſarium* , & derivatur a radice עֵז *caper* , & אָזַל *abiit .* 85.

XIX. Numer. cap. 12. verſ. 1. *Et locuta eſt Maria , & Aaron contra Moſem propter uxorem Æthiopiſſam , quam ſumſerat , quoniam uxorem Æthiopiſſam ſumſerat .* Zippora uxor Moſis eſt dicta כּוּשִׁית, quia gente , & patria erat Æthiopiſſa . 97.

XX. Deuteron. cap. 18. verſ. 15. *Prophetam de medio tuo , de fratribus tuis , ſicut me , excitabit tibi Dominus Deus tuus , illum audietis .* Verba hujus vaticinii , ſc. Prophetam Moſi ſimilem futurum , de Christo ſolummodo intelligenda ſunt . 105.

XXI. Deuteron. cap. 34. verſ. 5. *Et mortuus eſt ibi Moyſes ſervus Domini in terra Moab , jubente Domino ,*

Mor-

Mortuum eſſe Moyſem, ſalva fide negari non poteſt. 113.

XXII. Judic. cap. 8. verſ. 27. *Fecitque ex eo Gideon Ephod, & poſuit illud in civitate ſua Ophra*. Ephod a Gideone confectum fuit veſtis Pontificalis, ut ex ejus radice אָפַר *induit* colligitur. 117.

XXIII. Pſalm. 2. v. 12. *Oſculamini filium, ne iraſcatur, & pereatis de via*. Hæc eſt vera, & germana verborum Hebraicorum ſignificatio contra Judæos, qui aliter illa interpretantur, ut ſacroſanctum Trinitatis myſterium a ſacris literis amandent. 122.

XXIV. Pſalm. 22. v. 17. *Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obſedit me: foderunt manus meas, & pedes meos*. Textus hic, ſicuti in Hebræo habetur, non eſt a Judæis, neque ab aliis corruptus, & depravatus, quidquid in contrarium multi aſſerant. 144.

Digitized by Google

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Reviſione, & Approbatione del P. F. *Tomaſo Maria Gennari Inquiſitor* nel Libro Intitolato *Quaſtiones e Sacra Scriptura ex Linguarum Orientalium Interpretatione orta*; non v'eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Secretario Noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza a *Gio: Manfrè Stampatore*, che poſſi eſſere Stampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venetia, e di Padoa.

Dat. 20. Maggio 1725.

(Gio: Franceſco Moroſini Kav. Ref.
(Andrea Soranzo Kav: Ref.
(

Agoſtino Gadaldini Secr.

QUÆ-

Digitized by Google

Digitized by Google

QUÆSTIONES E SACRA SCRIPTURA

Ex Linguarum Orientalium Interpretatione ortæ.

QUÆSTIO I.

De nominis יְהֹוָה *pronunciatione.*

QUanta in pios homines ex religioſa divini nominis invocatione commoda derivantur ; tanta impiis ex ejuſdem contemtu metuenda eſſe ſupplicia paſſim ſacræ literæ teſtantur . Quare fit , ut dum utraque legentium , vel audientium animis obverſantur , magnam ſanctiſſimi nominis reverentiam excitent ,

quæ nos ad ſentiendum de Deo re-
ctiſſime, & honorificentiſſime ſem-
per loquendum impellat. Profecto
mens, aut lingua neque facilius,
& periculoſius labi, neque fructuo-
ſius, & honeſtius ſeſe exercere pot-
eſt, quam in divini nominis lau-
dibus celebrandis. * Quamobrem id
ſine dubio reputantes olim Iſraelitæ,
divini nominis blaſphemia primum
audita (ne tam nefarium exemplum
traheret perniciem veniens in æ-
vum) læſæ majeſtatis divinæ reum
ad Moſem duxerunt, Deique vo-
luntatem in re adeo gravi, & pe-
riculoſa conſulendam exiſtimarunt.
Hinc ab ipſo Deo ſancita ſeveriſſima
adverſus blaſphemiam lex; novo,
peſſimoque morbo novum, præſen-
tiſſimumque quæſitum remedium,
ſtatimque corruptum membrum re-
ciſum, ne tam dira peſtis graſſando
totum corpus miſere inficeret. Sed
inter cetera Dei nomina, quæ illi
plu-

* *Levit. cap. 24.*

Digitized by Google

plurima indita ſunt, illud apud priſcos Hebræos tanto ſemper in honore, ac reverentia habitum eſt, quod ejus naturam indicabat; ut pio quodam ſtudio ab eo pronunciando abſtinerent, ne quotidiano uſu vileſcens fruſtra aliquando; ac temere uſurparetur. Verum, ut fit, ſumma tanti nominis reverentia paulatim in ſuperſtitionem abiit, decretumque ſub pœna capitis; ne quis præter Summum Sacerdotem illud quotannis in ſolenni populi benedictione feſto propitiationis die pronunciaret. Quare factum eſt, ut brevi, vaſtato, & deleto templo, vera ejus pronunciatio penitus periret. Hinc exortæ illæ Grammaticorum contentiones, diſſidia illa inter eruditos linguę Hebraicæ, quomodo hodie, cum legitima ejus pronunciatio ignoretur, efferendum ſit. Itaque cum hoc nomen paſſim

in מִקְרָא, ſcilicet, *Sacra Scriptura*

occurrat, placet quærere, quomodo revera legendum ſit. Nos cum iis omnibus, quicunque linguæ Hebraicæ peritia claruerunt, defendimus contra Leuſden, & Galatinum, nomen Tetragrammaton per *Adonai*, non per *Jehovà* pronunciandum eſſe, eorum autoritate innixi, qui in divinis literis punctandis magiſtri, & Doctores nominis יהוה pronunciationem nobis tradiderunt per cognomen ejus *Adonai*. Cur autem eorum traditionem rejiciamus, maxime vero contra autoritatem veterum omnium Interpretum, quorum Græci per κύριον, Latini per *dominum* tranſtulerunt, voce plane eadem cum *Adonai*? Præterea ex duplici nominis divini pronunciatione ea retinenda, quæ magis certa, & antiquitus Hebræis ipſis uſitata, exploſa fictitia, & dubia, qualis eſt lectio per *Jehovà*: atqui antiquitus lectio nominis יהוה erat per *Adonai*; repudianda igitur nova,

Digitized by Google

va , ac dubia Galatini lectio per *Jehovà* . Quid quod id poſtulat analogia Grammatica ? Literæ enim ſerviles וכלב ante jod ſchevatum ſemper debent punctari cum vocali chirek , præfixæ tamen huic nomini habent patach , quæ inſolita punctatio aliunde oriri non poteſt, niſi quod puncta ſub nomine יהוה ſunt propria vocis *Adonai* : Quare non licet legere לְיהוָה כְּיהוָה בְּיהוָה וְיהוָה ſed לַיהוָה כַּיהוָה בַּיהוָה וַיהוָה . Poſtremo nomine *Adonai* continuo ſequente , vel antecedente , nomen יהוה ſuſcipit puncta nominis אֱלֹהִים , & pro eo legitur , ne bis nomen *Adonai* legatur . Itaque ſi hoc nomen יהוה habet vocales ſubſcriptas vocis *Adonai* , ut vel hinc eas habere patet, utique per *Adonai* legendum eſt. Hæc ex Grammaticis , & ex Rabbinis juvit afferre , ut ſententiam noſtram contra Leuſden, & Galati-

num confirmaremus. Placet inſuper validiſſimam omnium rationem aliunde petitam ſubjicere; nimirum Rabbinos punctorum inventores primos non extitiſſe, qui nomen Dei Tetragrammaton per *Adonai* extulerint. Siquidem Divus Hieronymus Hebraicæ linguæ peritiſſimus iſtis Rabbinis antiquior Exodi cap. 6. verſ. 3. ita vertit verba illa וּשְׁמִי יְהוָה לֹא נוֹדַעְתִּי לָהֶם *& nomen meum Adonai non indicavi eis*. Quod argumento eſt, concludendum neceſſario eſſe, venerandum Dei nomen Tetragrammaton per *Adonai*, non per *Jehovà* pronunciandum.

QUÆSTIO II.

Geneſ. cap. 2. v. 2.

וַיְכַל אֱלֹהִים בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי מְלַאכְתּוֹ
אֲשֶׁר עָשָׂה׃

Et complevit Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat.

MAgnum profectò inter textum Hebraicum, Vulgatam, & Lxx verſiones in textu citato diſcrimen intercedit. Patet enim ex hiſtoria ſacra, & ex verbis ſequentibus apertiſſime colligitur, Deum die ſeptimo ab omni opere ceſſaviſſe

וַיִּשְׁבֹּת בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי מִכָּל־מְלַאכְתּוֹ אֲשֶׁר עָשָׂה׃

& requievit die ſeptimo ab omni opere, quod fecerat. Vulgata autem videtur innuere etiam die ſeptimo Deum operatum fuiſſe. Cum enim Deus die ſeptimo opus ſuum com-

pleverit, neceſſario inde conſequitur, eum die ſeptimo operatum fuiſſe, cum completio operis & ipſa non opus eſſe non poſſit. Hoc modo argumentantur, & reprehendunt ſacram verſionem heterodoxi. LXX quoque longe abſunt a textu Hebraico. Nam pro ſeptimo reddunt ſexto; καὶ συνετέλεσεν ὁ θεὸς ἐν ἡμέρα τῇ ἕκτῃ τὰ ἔργα αὐτοῦ: *& complevit Deus die ſexto opera ſua*. Verum facile hæ differentiæ tolluntur, & hæreticorum audacia retunditur, ſi ita Vulgatam interpretemur, ut ab omni operatione excludatur dies ſeptimus; vel cum recentioribus vertamus, *compleverat die ſeptimo*, pro *complevit*. Præteritum enim perfectum apud Hebræos ponitur pro pluſquam perfecto. Reſpexerunt enim ſapientiſſimi Interpretes magis ad ſenſum, quam ad literam; quod idem feciſſe paſſim per totam Scripturam conſtat apertiſſime. Neque ullum omni-

mnino negotium contra id faceſſit D. Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis in Geneſim inquiens: *pro die ſexta*, quod in Græcis exemplaribus habetur, *diem ſeptimam in Hebræo habet*; *arctabimus igitur Judæos, quod de otio Sabbati gloriantur, quod jam tunc in principio Sabbatum diſſolutum ſit*. D. enim Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis explicat tum verba, tum ſenſum non ex ſententia ſua, ſed juxta aliorum mentem; aliorumque opiniones ſolummodo refert, eaſdem neque laudando, neque reiiciendo. Cum igitur quidam ex Hebræis ſint arbitrati, Deum prima hora diei ſeptimi opus creationis compleviſſe, ex illa opinione D. Hieronymus poſtea deſumſit anſam objiciendi ipſis Hebræis ſanctificationem adeo religioſam Sabbati, & eos, ut inquit, arctandi.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Geneſ. cap. 3. v. 1.

וְהַנָּחָשׁ הָיָה עָרוּם מִכֹּל חַיַּת הַשָּׂדֶה אֲשֶׁר עָשָׂה
יְהוָה אֱלֹהִים וַיֹּאמֶר אֶל־הָאִשָּׁה &c.

Et ſerpens erat callidior cunctis animantibus agri, quæ fecerat Dominus Deus, & dixit ad mulierem &c.

QUam illuſtre beatitatis primorum parentum teſtimonium perhibent ſacræ literæ, cum eos licet nudos erubuiſſe negant; tam contra abjectæ ſortis flebile dant documentum, cum eoſdem verecundos, & ſubligacula ſibi conſuentes legentium oculis ſubjiciunt. Nempe divinę legis tranſgreſſio immenſam calamitatum Iliadem ſecum traxit, rerumque facie repente mutata, qui prius liberi libidines, voluptates, iracundiam,

diam, avaritiam, & ceteras animi labes non ſentiebant, proh dolor!, cum improbiſſimis dominis, dedecore, ac turpitudine, innumeriſque calamitatibus toto vitæ ſpatio decertare miſere coacti ſunt. Hinc intellectui tenebræ obductæ, hinc voluntas a Deo Optimo Maximo avocata, hinc dominium in bruta imminutum, hinc vires corporis debilitatæ, omnino hinc mors ipſa, & *plurima mortis imago*. Quamvis autem Eva temere profecto neque reputavit, neque proſpexit, quodnam facinus patratura, & quam grave bonorum detrimentum paſſura eſſet, ſi legem divinam violaret; ſenſit nihilominus id poſtea; ut ex tripode illud Menandri dictum eſſe appareat:

Nemo ſatis dum peccat, quod facit, videt,
Scelere at peracto, atrocitatem perſpicit.

Tot, tantarumque calamitatum auto-

Digitized by Google

torem ſerpentem, generique noſtro infenſiſſimum hoſtem diabolum fuiſſe non modo fides Catholica docet, ſed & Judæi ipſi ex parte concedunt. Verum, ut fit apud Rabbinos, dum ſinguli germanum ſacrarum literarum ſenſum novis, & inauditis interpretationibus ſe aſſecuturos ſperant, alius alio longius a ſcopo aberrat. Viſum propterea eſt hujus ſeductionis hiſtoriam, quę Geneſeos capite tertio narratur, attente perpendere, &, quid de ea decernendum ſit, ex verborum proprietate, & analogia fidei demonſtrare. Itaque cum ex Sacra Scriptura habeatur, ſerpentem cum muliere collocutum, quod nos revera accidiſſe contra nonnullorum Hebręorum pervicaciam defendimus, quæritur, quomodo ſermonem cum ea habere potuerit, cum lingua, & ſermone careat. Sunt, qui dicunt, rerum initio ſerpentem intellectu, & ſermone præditum fuiſ-

ſe,

Digitized by Google

ſe, ſed, quod peccaſſet Evam circumveniendo, iiſdem privatum. At cur in ſerpentis execrationibus hujus ſupplicii nulla mentio ſit, cum ceteris, quæ illic dicuntur, ſit longe gravius? Quis vero non videt, ita ſentientem rerum naturas ſus deque vertere? Alii putant, Satanam cum muliere collocutum, ementitum ſcilicet ſpeciem ſerpentis. Sed velim reſpondeant, quomodo Satanæ convenire poſſint, quæ in ſerpentis execrationibus dicuntur, כִּי עָשִׂיתָ זֹּאת אָרוּר אַתָּה מִכָּל־ הַבְּהֵמָה וּמִכֹּל חַיַּת הַשָּׂדֶה׃, *quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias agri*: quodnam, obſecro, animalis genus Satanas eſt? Lepidiſſima profecto capita, ut ex his ſe expediant, & ictum declinent, ad numeros confugiunt, ajuntque נָחָשׁ *ſerpentem*, & שָׂטָן *Satanam*, numerorum ratione habita, idem valere.

An

Digitized by Google

An non eſt hoc irruentium hoſtium impetum fugere ; iiſdemque inſequentibus cædenda terga præbere ? Sentiunt nonnulli, Angelum locutum eſſe ſerpentis ore. Quid, quæſo, non abſurdum cogitet, qui de Angelis ipſis adeo impie ſentiat ? Quomodo igitur peccavit ſerpens? cur innocenti pœna inflicta ? Noverat, ſubjiciunt alii, Eva omnium beſtiarum linguas. Vide, quam liberaliter agam. Eſto. Verum quis tandem, aut quid ſerpentem impulit, ut Evam falleret ? quis docuit modum, aut artem, qua femina poſſet circumveniri ? quomodo potuit ſcire, quid homini Deus imperaſſet, vel vetuiſſet ? nunquid Dei Adamum alloquentis verba alicunde audierat ? Callidior erat, ajunt, cunctis animantibus terræ. Veriſſimum. Quid inde ? vera fuit, veriſſima in ſerpente verſutia, attamen talis, quæ in brutum cadere poteſt, quod rationis

eſt

Digitized by Google

eſt expers. Acutiſſime omnium videtur nonnullis hac in re ſenſiſſe R. Abarbenel, inter Evam nimirum, & ſerpentem verba non interceſſiſſe, nulli ſpiritui interlocutori locum extitiſſe, ſed illam in arborem aſcendentem, & de vetitæ arboris fructu comedentem ſerpentem æmulatam, exemplo duntaxat ſeductam eſſe. Sed demus, acutiſſimam omnium eſſe hanc interpretationem, & vero ſimillimam; quis tamen, obſecro, non videt, verba Scripturæ ita clara eſſe, & contrariam Abarbenelis ſententiam ita aperte præ ſe ferre, ut aliter ea exponere, quam ſonent, ſit manifeſte detorquere? Si literam pro arbitrio deſerere, & quidvis comminiſci liceat, actum eſt de Sacræ Scripturæ veritate, & nihil certi in toto codice ſacro reperitur. Maneat itaque firmum, verba, ut ſonant, eſſe intelligenda de vero ſerpente, & colloquio inter Evam,

&

Digitized by Google

& illum habito ; præſertim cum contextus hanc interpretationem defendat , cum quæſtioni reſponſio ita data recenſeatur , ut tandem eſus fructus arboris vetitæ ſit ſubſecutus , & pœna pro delicto utrique inflicta. Quamobrem ideo calliditatis ſerpentinæ hoc loco Moſes meminit; quia cum ſerpens reliqua animantia ſolertia anteiret , diabolo viſum eſt, eum ut organum adhibere in ſeducenda omnium viventium matre Eva , ut ſic fraudem ſuam magis tegeret , & infelix femella minus ſentiret , quis colloquii eſſet autor , quo circumveniretur . Ita ſentiunt multi SS. Patres , D. Thomas , Baſilius , Chryſoſtomus , Auguſtinus , Damaſcenus , Beda , Rupertus , Theodoretus , & alii , quos libenter prætereo , ne longior ſim.

Digitized by Google

QUÆSTIO IV.

Geneſ. cap. 3. v. 8.

וַיִּשְׁמְעוּ אֶת־קוֹל־יְהוָה אֱלֹהִים מִתְהַלֵּךְ
בַּגָּן לְרוּחַ הַיּוֹם׃

Et audiverunt vocem Domini Dei ambulantis in horto ad ventum diei.

DE hac locutione לְרוּחַ הַיּוֹם inter ſe non conſentiunt Interpretes, atque adeo in diverſiſſima abeunt. Alii per eam tempus matutinum, alii meridianum, alii veſpertinum ſignificari arbitrantur. Aquila enim habet ἐν τῷ ἀνέμῳ τῆς ἡμέρας. Symmachus διὰ πνεύματος ἡμέρας. Theodotion ἐν τῷ πνεύματι πρὸς κατάψυξιν τῆς ἡμέρας. Onkelos, & Jonathan לְמְנַח יוֹמָא *ad quietem*

diei. Targum Hieroſolymitanum לְתוּקְפָּא דְיוֹמָא *in robore diei*. LXX τὸ δειλινόν. Hieronymus *poſt meridiem*, & Syrus ܠܡܦܢܝ ܝܘܡܐ *die ad occaſum præcipitante*. Nemo melius Syro interprete vim Hebraici verbi expreſſit. רוּחַ enim cum nomine יוֹם copulatum occidentis plagam deſignat. Quare firma, & conſtans Orientalium traditio eſt, ad veſperam Deum Adamo apparuiſſe, quod colligitur etiam ex Aben Eſrà וְזֶה הָיָה סָמוּךְ לָעֶרֶב, & Jarchì סָרְחוּ בַּעֲשִׂירִית *rebellarunt hora decima*, ſeu duas horas ante Solis occaſum; quæ ſententia confirmatur ex verbo Arabico راح circa Solis occaſum aliquid facere. Quod ſi objiciatur per verbum רוּחַ ex uſu linguæ Hebraicæ ſignificari ventum levem, & mitem, & propterea

non

non poſſe intelligi veſperam, qua vehementiſſime ventus ſpirare ſolet; reſpondemus eos decipi, qui ita arbitrantur. In Sacra enim Scriptura ſine diſcrimine verbum רוּחַ de vento valido, & placido uſurpatur. Sic adhibetur Geneſ. cap. 1. de vento vehementiſſimo, qui incubuit ſuper aquas וְרוּחַ אֱלֹהִים מְרַחֶפֶת עַל פְּנֵי הַמָּיִם׃ *& ventus Dei ferebatur ſuper aquas*; ſic tribuitur omnibus ventis Daniel. cap. 7. אַרְבַּע רוּחֵי שְׁמַיָּא *quatuor venti cælorum.*

Digitized by Google

QUÆSTIO V.

Geneſ. cap. 3. v. 15.

וְאֵיבָה אָשִׁית בֵּינְךָ וּבֵין הָאִשָּׁה וּבֵין זַרְעֲךָ
וּבֵין זַרְעָהּ הוּא יְשׁוּפְךָ רֹאשׁ וְאַתָּה
תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב׃

Vulgata. *Et ſimultatem ponam inter te, & inter mulierem, & inter ſemen tuum, & ſemen illius; ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus.*

VUlgata, & Arabica verſio inter ſe conſentiunt, contritionem capitis ſerpentis mulieri, ſcilicet Beatæ Mariæ Virgini tribuentes. Ceteri autem omnes Interpretes verba illa non ad mulierem, ſed ad ſemen eſſe referenda contendunt. Sic LXX αὐτός σου τηρήσει κεφαλὴν,

καὶ

Digitized by Google

καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν, & Syrus
ܗܘ ܢܕܘܫ ܪܫܟ. ܘܐܢܬ ܬܡܚܝܘܗܝ
ܒܥܩܒܗ * *ipſum conculcabit caput tuum, & tu feries eum in calcaneo ipſius*. Videtur profecto ejuſmodi eſſe ſenſus in litera Hebraica, quem LXX nobis reddiderunt. Ubique enim in litera Hebraica eſt pronomen, & affixum maſculinum; ſed cum uſus linguæ Hebraicæ ſit, ut genera ſæpe ſæpius invicem commutentur, imo genus maſculinum ad תִּפְאֶרֶת, ut loquuntur Hebræi, pro feminino uſurpetur, probanda eſt etiam Vulgata verſio, quæ contritionem capitis ſerpentis Beatæ Mariæ Virgini tribuit, non quaſi ipſa per ſe caput ſerpentis contriverit, ſed per ſemen ſuum: quo pacto verſiones omnes facile inter ſe conciliari poſſunt: Quanquam non deſunt M. SS. Latina, quæ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

habent *ipſe*, ſicut & Hebraica, in quibus הִיא pro הוא legitur. Neque obſtat, non eſſe recedendum ab hodierna punctatione jam conſenſu omnium Rabbinorum, & Chriſtianorum firmata, & ſtabilita. Poſſumus enim interdum relinquere hodiernam punctationem, non quidem pro arbitrio, & voluntate, ut inſtabilis omnino, & inconſtans reddatur lectio textus Hebraici; ſed Sanctorum Patrum autoritate innixi, atque ſuffulti. Neque enim afflati Spiritu Sancto fuerunt critici Judæi, ut ab iis aliquando recedere non liceat.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO VI.

Geneſ. cap. 3. v. 21.

וַיַּעַשׂ יְהוָה אֱלֹהִים לְאָדָם וּלְאִשְׁתּוֹ
כָּתְנוֹת עוֹר וַיַּלְבִּשֵׁם׃

Et fecit Dominus Deus Adam, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.

VEſtium mutationem funeſta, & calamitoſa rebuſpublicis, imperiiſque ferme portendiſſe omnis hiſtoria teſtatur. Vix Darius Perſarum Rex ad ſummam rerum omnium poteſtatem evectus acinacem Perſicum in enſem a Græcis adhibitum mutari juſſerat, cum protinus Chaldæorum ſapientes ad eos tranſiturum imperium ſunt interpretati, quorum arma eſſet imitatus. Interpretationem eventus compro-

Digitized by Google

bavit. Hinc prudenter omnino, & laudabiliter apud Helvetios, & Venetos olim legibus ſancitum eſt, ut ſi quis diverſo ab aliis indumento tectus incederet, ab omnibus reipublicę muneribus tanquam ineptus, & indignus rejiceretur. Quomodo igitur reprehendendi erunt ii, qui corruptos, & depravatos noſtrorum temporum mores deplorantes, & exemplum fatale deteſtantes verentur, ne novis quotidie veſtibus ex peregrinis regionibus maximis impenſis comportandis ultimum familiis exitium paulatim creetur? Sed hujus mutationis pœna primis parentibus tribuenda eſt, qui, innocentiæ quaſi veſte depoſita, malum univerſo generi, calamitatemque nunquam ſatis plorandam intulerunt. O miſeram, fatalemque mutationem! veſte feliciſſima abiecta, infelix, & calamitoſa nuditas apparuit, in qua procul dubio primus parens miſere periiſſet, niſi

Deus

Digitized by Google

Deus Optimus Maximus, qua eſt bonitate, & clementia, alia veſte illum contexiſſet. Itaque cum Adam ferme deſcribatur, ut ille apud Poetam: *horridus in jaculis, & pelle Lybiſtidos urſæ*; juvat ipſum Sacræ Scripturæ textum attente perpendere, & quid proprie ejus verba ſignificent, demonſtrare. Geneſeos igitur c. 3. v. 21. ita habetur: וַיַּעַשׂ יְהוָה אֱלֹהִים לְאָדָם וּלְאִשְׁתּוֹ כָּתְנוֹת עוֹר וַיַּלְבִּשֵׁם׃ *Et fecit Dominus Deus Adam, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.* Qui hoc loco literam temere negligunt, & a veritate propterea quam longiſſime recedunt, partim e Chriſtianorum, partim ex Judæorum ſchola prodierunt. Quod ad Judæos attinet, ſi ullibi in hiſtoria Adami, certe hic in cultu corporis nimium ſibi indulgent, neglecta Sacræ Scripturæ autoritate. Etenim in una veſte non acquieſcunt, ſed aliam quo-

que

que ipſi affingunt, & ne quid mendaciſſimis illorum nugis deſit, ac ritibus, quibus tunicam Adami natales dediſſe ferunt, tam ante, quam poſt patratum læſæ majeſtatis crimen veſtem primis parentibus tribuunt. Sed unde, quæſo, fidem dictis veſtris conciliabitis homines nugaciſſimi, cum * Scriptura apertiſſimis verbis teſtetur, ambos fuiſſe nudos, nec tamen erubuiſſe? Quidquid igitur ipſi, & alii licet Chriſti fideles hac in re ipſis ſimiles ſentiant, flocci nos pendimus, & textui inhærentes aimus, acriterque defendimus, veſtibus vere pelliceis a Deo primos parentes veſtitos eſſe, ea potiſſimum ratione compulſi, quia vox עור *pellis* nuſquam alia ſignificatione, quam pro externa animalium pelle uſurpata legitur, adeo ut, qui textum torquere auſi ſunt, omnes ad unum temere, & ſine fundamento loquantur. Quæret num quiſpiam, cur

* *Geneſ. c. 2. v. ult.*

Digitized by Google

cur pelliceas veſtes Deus prætulerit, cum ei aliæ veſtiendi rationes ſuppeterent? eo nimirum conſilio prætulit, ut tam hyeme, quam æſtate primis parentibus inſervirent; prætulit, quia non ad ornatum, ſed ad neceſſitatem tradebantur, ad nuditatem tegendam, ad aeris injurias arcendas; prætulit non modo ad verecundiam, ſed etiam ad frugalitatem; prætulit ad continentiam, atque adeo ad pœnitentiam; omnino prætulit ad veſtium ſimplicitatem nobis commendandam. Hinc procul dubio mos ille apud vetuſtiſſimos mortalium manavit, teſte Platone in Protagora, & Cicerone Lib. 1. Quæſtionum Tuſculanarum, ut animalia cæderent, eorumque pellibus tegerentur. Quamvis autem aliquando pelliceæ veſtes apud nonnullos autores contemtim nominentur; quamvis coriariis domicilium in urbe interdictum legatur; quamvis de ar-

te

Digitized by Google

te coriaria ſomniari conjectoribus malum omen viſum fuerit; quis tamen non videt, hoc ſtultæ ſuperſtitioni, quam cordatiores riſu excipiunt, tribuendum? An non enim, donec antiqua ſimplicitas viguit, honeſtiſſimos Romana reſpublica Senatores ſimilibus veſtibus indutos vidit, & poſteritas eſt admirata, ut propterea a Propertio pelliti patres, & ruſtica corda appellentur?

Curia prætexto quæ nunc nitet alta ſenatu,
Pellitos habuit ruſtica corda Patres.

An non pii viri olim in deſertis errantes, atque in montibus, ſpeluncisque latitantes ovillis, & caprinis pellibus induebantur? Caroli Magni tempora conſidera, pelliceiſque veſtibus ipſos rerum dominos etiam diebus feſtis indutos animadvertes. Sed quorſum tam multa, inquiet aliquis? ut videlicet

in

in pervicacia ſua ſe deprehenſos Judæi cognoſcant, qui temere urgent, quidvis potius id loci intelligendum, quam veſtes vere pelliceas, autumantque ſibi poteſtatem datam eſſe, quidquid in mentem venerit, fingendi, & impune in medium proferendi. Maneat itaque firmum, vocem עור tantummodo *pellem* ſignificare, ut patet ex multis ſacræ Scripturæ locis; Geneſ. cap. 27. v. 16. de pellibus hædorum: Exodi cap. 26. v. 14. de pellibus arietum, & taxorum; de variis rebus ex pelle confectis Levitici cap. 13. v. 50. & Numeror. cap. 31. v. 20. unde ejus literali, propriæque ſignificationi inhærendum eſt arctiſſime, nec niſi graviſſima de cauſſa ad impropriam confugiendum. Quamobrem Bellarminus lib. 1. de Sacramento Baptiſm. cap. 12. *non licet, præſertim in hiſtoriis, tropos fingere pro arbitrio, alioquin nihil certum eſſet in Scriptura.*

Digitized by Google

ra. Quis enim unquam in deſcribenda hiſtoria allegoriis uſus? nemo hominum doctiorum fecit id adhuc, multo vero minus ipſe Dei ſpiritus, a quo omnis ſapientia noſtra. Si enim allegoriæ hiſtoriis interſerantur, quas lene, & ſponte natum orationis genus decet, omnis earum lepor, & gratia protinus pereat neceſſe eſt.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO VII.

Geneſ. cap. 5. v. 3.

וַיְחִי אָדָם שְׁלֹשִׁים וּמְאַת שָׁנָה וַיּוֹלֶד
בִּדְמוּתוֹ כְּצַלְמוֹ׃

Et vixit Adam centum, & triginta annos, & genuit in ſimilitudine ſua ſecundum imaginem ſuam.

DIſcrepant hic inter ſe quoad annorum ſupputationem textus Hebraicus, & LXX Interpretes. Calculus enim LXX in prioribus quinque Patriarchis, & Enocho, qui ſeptimus eſt, anno, quo ſecundum textum genuerunt, addit centum annos, quos mox detrahit annis illis, quos vixiſſe dicit textus, poſtquam genuerunt. Conſenſus autem eſt in ſumma annorum,

rum, quibus illi Patriarchæ dicuntur omnino vixiſſe. Unde factum eſt ex illa additione centum annorum, ut æra diluvii ſecundum LXX poſterior ſit æra diluvii, quæ ex textu habetur, annis ſexcentis, & ſex, vel ſecundum alios codices quingentis, & octoginta ſex. Quæritur ergo, uter calculus, Græcus, an Hebraicus ſit præferendus. Nos pro Hebraico ſtamus. Nam ſi Hebraicus textus quoad Chronologiam ullo pacto eſſet Græco poſtponendus, id eſſet, quia eſſet corruptus. Nam textus non poſtponitur verſioni, niſi quando manifeſta apparet corruptio in textu Hebraico. Ultro autem fatentur adverſarii nec librariorum negligentiæ, nec ulli caſui poſſe tribui diverſitatem, quæ inter Hebraicos, Græcoſque codices intercedit. Reliquum igitur eſt, ut conſulto, & data opera textus ſit depravatus. At a quibus, quove tempore iſthæc vo-

Digitized by Google

voluntaria textus corruptio facta eſt? a Judæis ne? ante Chriſti adventum, poſt Chriſti adventum? Sed quis ſibi perſuadeat, Judæos ante Chriſti adventum textum Hebraicum, quo nihil pretioſius habebant, a Deo inſpiratum, unicum religionis, & reipublicæ Judaicæ fundamentum, omnem denique ſpem Judæorum, corrupiſſe de induſtria, & conſulto depravaſſe? Si vero a tempore Chriſti Judæi Scripturam depravarunt, quomodo a primis Chriſti fidelibus non fuit id animadverſum? quomodo corruperunt etiam textus, qui erant apud Chriſti fideles? Itaque cum Judæi nunquam data opera codices Hebraicos depravarint; ſequitur etiam, nunquam eos ſeriem annorum in ſacra Chronologia invertiſſe, aut mutilaſſe. Ex integritate igitur textus Hebraici infertur etiam veritas Chronologiæ Hebraicæ.

Digitized by Google

QUÆSTIO VIII.

Geneſ. cap. 6. v. 3.

לֹא יָדוֹן רוּחִי בָאָדָם לְעֹלָם בְּשַׁגַּם הוּא בָשָׂר וְהָיוּ יָמָיו מֵאָה וְעֶשְׂרִים שָׁנָה׃

Vulgata. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt: eruntque dies illius centum, & viginti annorum.*

IN explicando hoc verſiculo in diverſa abierunt Interpretes. Lxx enim verterunt ὀ μὴ καταμείνῃ τὸ πνεῦμά μου ἐν τοῖς ἀνθρώποις, quos ſecutus eſt D. Hieronymus; *non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum*. Syrus quoque, Chaldæus, & Arabs videntur hujuſmodi vocem ידון derivaſſe a נָדָן *vagina*, quæ dictio metaphorice uſurpatur apud

Digitized by Google

apud Chaldæos pro corpore, quod ſpiritui ſit, ſicut vagina gladio; vel legerunt יָלוּן pro יָדוֹן facili mutatione Daleth in Lamed a לוּן *pernoctare*; ſed cum nulla ſuppetant exemplaria, in quibus legatur יָלוּן pro יָדוֹן, nec יָדוֹן a radice נָדָן ullibi reperiatur in Sacra Scriptura, minus probanda videtur hæc interpretatio. Retenta igitur veritate Hebraica, & germana ſignificatione vocis יָדוֹן in ſenſu *diſceptandi*, *contendendi*, *judicandi* a radice דוּן Samaritanus reddit: non contendet ſpiritus meus in æternum, utrum perdam, an parcam; caro eſt, & quidem corrupta; tamen dabo eis ſpatium centum, & viginti annorum, ut reſipiſcant, & uſque ad hoc tempus differam iram meam in eos, & ſi non reſipiſcent, inducam in eos diluvium. Quam explicationem ſecutus eſt A-

ben Eſrà, & R. Salomò, & alii; quia hic non determinatur ſpatium vitæ humanæ poſt diluvium, ſed ſpatium pœnitentiæ. Quamvis autem ab hac comminatione ad diluvium centum tantummodo anni interceſſerint, ut propterea ſpatium annorum, quod in hoc verſiculo determinatur, non ad pœnitentiam, ſed ad hominum vitam referri poſſe videatur; nihilominus Deus ob maxima, & turpiſſima ſcelera, quibus ſe polluebant homines, hoc quoque pœnitentiæ ſpatium contraxit, cumque eorum iniquitatem diutius ferre non poſſet, citius, quam decreverat, diluvium ad eos puniendos immiſit. Hinc D. Hieronymus in traditionibus Hebraicis in Geneſim: *Porro*, inquit, *ne videretur in eo eſſe crudelis, quod peccantibus locum pœnitentiæ non dediſſet, adjecit illud*; ſed erunt dies eorum centum viginti anni: *hoc eſt, habebunt centum viginti annos*

Digitized by Google

ad agendam pœnitentiam. Non igitur humana vita, ut multi errant, in centum viginti annos contracta eſt; ſed generationi illi centum viginti anni ad pœnitentiam dati ſunt. Quia vero pœnitentiam illi agere contemſerunt, noluit Deus tempus expectare decretum; ſed viginti annorum ſpatiis amputatis, induxit diluvium anno centeſimo agendæ pœnitentiæ deſtinato. Similia Hieronymo dixit D. Chryſoſtomus homil. 25. in Geneſim. Hieronymum ſecutus Hugo in annotationibus in Geneſim: *ſicut*, inquit, *Ezechiæ mortem inſtantem minatus eſt Deus, ſed quia pœnituit, mortem inſtantem in quindecim annos diſtulit; ſic contra illis hominibus ad pœnitendum centum viginti annorum ſpatium conceſſerat; ſed quia facti ſunt deteriores patientia Dei, ſpatium indultum breviatum eſt: nec in aliquo iſtorum mutatum eſt Dei conſilium, ſed tantum ſententia.* Alii melius, & probabilius dicunt, decretum

hoc factum fuiſſe ante natum Japhetum, quem Noe genuit, ut communis eſt opinio, anno ætatis quinquageſimo. Neque obſtat, quod hæc comminatio a ſacro Hiſtorico narretur poſt Japheti ortum. Res enim in Sacra Scriptura non ſemper eo ordine commemorantur, quo geſtæ ſunt; in lege autem prçcipue narrantur per מוקדם ומאוחר ut dicunt Hebræi, hoc eſt ὕστερον πρότερον, qua figura frequentiſſime utuntur. Quod vero nullo modo poſſit intelligi annorum ſpatium hominibus a Deo conſtitutum in vitæ terminum, ratio potiſſima petitur ex ipſa hiſtoria, quia poſt hanc comminationem Sem vixit ſexcentis annis, Abraham centum, & ſeptuaginta quinque, atque alii longe ultra centum, & viginti annorum ſpatium vitam produxerunt.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO IX.

Geneſ. cap. XI. verſ. 1.

וַיְהִי כָל־הָאָרֶץ שָׂפָה אֶחָד וּדְבָרִים אֲחָדִים׃

Et fuit omnis terra labii unius; & ſermonum eorumdem.

ANte cladem Babylonicam unicam tantum fuiſſe linguam, & a Deo Adamo infuſam, ex ſacro textu colligitur. Quænam autem illa fuerit, non convenit inter autores. Grotius enim primam linguam in confuſione Babel omnino periiſſe arbitratur. Erpenius vir linguarum Orientalium peritiſſimus adhuc ſub judice litem eſſe aſſerit. Maronitæ, & ex antiquis Patribus Theodoretus Chaldaicam; ceteri fere omnes primam Hebraicam faciunt. Nos pro Hebraica ſtamus, arguimuſque, eam primam,

Digitized by Google

& antiquiſſimam omnium fuiſſe ex nominibus hominum, & locorum, quæ ab initio mundi uſque ad cladem Babylonicam, & linguarum confuſionem in Sacra Scriptura recenſentur. Cum enim eorum omnium radices, & etymologiæ ex ſola lingua Hebraica petantur; neceſſario infertur, eam eſſe non ſolum omnium antiquiſſimam, ſed eam ipſam, quæ primo parenti rerum initio a Deo Optimo Maximo indita eſt. Hoc idem ejus ſimplicitas, & puritas apertiſſime declarat; cum ipſa a peregrinis vocabulis, & dictionibus prorſus immunis ſit, ceteræ autem linguæ non ex ſe ipſæ conſtare, ſed ex commiſtione quadam, & quaſi colluvie exterarum, barbararumque dictionum natæ, & compoſitæ videantur. Verum potiſſimum, firmiſſimumque argumentum ad ſtabiliendam ſententiam noſtram petitum ex nominibus tum locis, tum homi-

mi-

Digitized by Google

minibus ab initio mundi impoſitis, eſt, qui conetur infirmare; ideo ſcilicet illa nomina eſſe Hebraica etiam origine contendens, quia illa Moſes mutavit ex lingua prima in Hebræam, ut eorum vim magis exprimeret, & exponeret, unde ſingula rerum initio ſuum peculiare nomen ſortita eſſent. At quiſnam, obſecro, Hiſtoricus eſt, qui gentis ſuæ, vel alienæ geſta deſcribat, & nomina propria variet? An non eſſet hoc de certis quidem rebus hiſtoriam contexere, ſed hiſtoriæ finem vocabula, & voces mutando non aſſequi? Fateor equidem, Hiſtoricos, vel Interpretes nonnunquam munera, & dignitates, interdum etiam nomina propria, in quibus emphaſis latet, lingua ſua explicare, & exponere; at quem mihi dabis, qui conſtanter, & perpetuo per totam hiſtoriæ ſeriem id efficiat? Scripſerunt Græci bella Græcorum cum Perſis; ubique tamen

Digitized by Google

men Perſarum nomina retinuerunt. In eorum enim hiſtoriis legimus Artaxerſem, vel Xerſem, non *lumen ſilentium ponens*; legimus Darium, non *inquirentem*, quamvis iſthæc nomina Perſica lingua talia ſignificent. Quid Romani ſcriptores? nonne bella Punica deſcribentes quemlibet proprio nomine deſignant? Num pro Aſdrubale *Dominum ad pugnam accinctum* reponunt; pro Burſa *Carthaginis arcem* adhibent; pro Carthagine *civitatem novam* uſurpant? Quorſum hæc? videlicet, ut res, & homines, de quibus in hiſtoria mentio fit, etiam apud alios eo nomine dignoſcantur, quo apud ſuos ſolent appellari. Abſurdum enim eſt, nominibus propriis neglectis, alia pro arbitrio confingere, & ex propriis appellativa facere. Quare ne unum quidem in immenſa prope, atque infinita Hiſtoricorum turba proferre poſſis, qui rerum, lo-

co-

Digitized by Google

corum, hominumve propria nomina paſſim non retineat. Firmum itaque ſit, & certum, linguam Hebraicam primam omnium fuiſſe, uſumque ejus, & utilitatem eſſe maximam, quam laudare pro dignitate nemo ſatis poſſit, cum per eam ad nos Spiritus Sancti effata pervenerint, veraque ſapientia ex illa tanquam ex fonte in humanum genus abunde, atque adeo effuſe profluxerit. Aliunde hęc lingua quæſitas laudes reſpuit, externa ornamenta, & fucos contemnit, cum ſatis jam a ſe laudis habeat, ſatis præſtantiæ ab antiquitate, quia ipſi mundo coæva; ab origine, quia a Deo creata; a perfectione, quia elegans, pura, integra ſemper, & incorrupta permanſit reliquarum omnium linguarum præſtantiſſima mater, & regina. Emolumentum vero, & utilitas, quæ ex ipſa percipitur, quanta ſit, verbis ſatis explicari non poteſt. Satis exiſtimo

Digitized by Google

mo verba cujuſdam viri docti audire : *qui verſiones tantum norunt , aliorum oculis vident , & cum plebe in atriis ſtantes , e longinquo ſacra intuentur ; qui vero ipſum textum originalem intelligit , cum Sacerdotibus in Sanctuarium admiſſus , ipſe teſtis eſt , & arbiter* . Ad fontes igitur Hebræos properandum eſt , ut omnimoda inde , & perfecta divinarum literarum , myſteriorumque cognitio hauriatur.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO X.

Geneſ. cap. II. *v.* 12.

וְאַרְפַּכְשַׁד חַי חָמֵשׁ וּשְׁלֹשִׁים שָׁנָה
וַיּוֹלֶד אֶת־שָׁלַח׃

Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale.

CUm Latino interprete conſentit Chaldæus, Samaritanus, Syrus, Arabs, Perſa, & recentiores omnes. Soli diſſentiunt LXX Græci Interpretes, qui admittunt in genealogiam Patriarcharum Cainan filium Arphaxad contra fidem, & veritatem omnium Hebræorum exemplarium. Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ ἑκατὸν τριάκοντα πέντε ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν Καϊνᾶν. Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Καϊνᾶν, ἔτη τριακόσια, καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς, καὶ θυγατέρας, καὶ ἀπέθανε. Καὶ ἔζη-

ζησε Καϊνᾶν ἑκατὸν, καὶ τριάκοντα ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν Σαλά. *Et vixit Arphaxad centum triginta quinque annos, & genuit Cainan. Et vixit Arphaxad, poſtquam genuit Cainan, annos trecentum, & genuit filios, & filias, & mortuus eſt. Et vixit Cainan centum, & triginta annos, & genuit Sale.* Itaque inter eruditos hoc loco quæſtio eſt, utrum Cainan admittendus ſit cum LXX, an vero rejiciendus cum textu Hebraico, & Latino. Sive Hebraicam veritatem, ſive verſiones, & doctorum autoritatem conſulamus, ſive rationes deſideremus, Cainan omnino expungendus eſt ex Patriarcharum genealogia. Ipſa enim eadem Græca verſio correcta a Romanis, & autoritate Sixti V. edita ex libro Paralipomenon explodit Cainan, qui liber ea colligit, & recenſet, quæ in aliis libris ſunt omiſſa. Nec mirum, hic deprehendi Græcam verſionem interpolatam,

tam, & corruptam. Sciolus enim ille ſcriba ſive ex temeritate, ſive ex ignorantia, ſive ex incuria potuit facile addere Cainan, qui omnium Patriarcharum genealogiam interpolavit. Inſertum autem fuiſſe Cainan a ſcriba aliquo in genealogiam Patriarcharum colligitur ex Euſebio, qui in priore Chronici ſui libro annos Patrum ex triplici textu, Hebræo ſcilicet, Græco, & Samaritano recenſens in nullo eorum Cainan poſuit; & ex Origene, qui in ſuis Hexaplis Cainan omittit, & in communi illa verſione Græca Lxx, quæ κοινὴ appellatur, ea, quæ ſpectant ad Cainan, virgula, ſeu obeliſco notavit. Sed liberaliter agamus cum iis, qui mordicus Lxx verſioni adhærent, concedamuſque Lxx Cainan admiſiſſe; ideone ſtatim ab Hebraico textu, cui ſuffragantur verſiones omnes, recedendum? nihil minus. Verum antequam cum Lxx

in

in genealogiam Patriarcharum Cainan admittatur, textus Hebraici corruptio probanda. Afflante Spiritu Sancto verſionem ſuam confeciſſe Lxx repones? At opinio iſthæc jam exploſa eſt ab omnibus, omneſque ad unum conſentiunt, eos errori, & lapſui ſubjectos fuiſſe, & obnoxios. Quanquam quid nobis afflatus iſte officeret, cum tanta poſtea corruptio verſionem Græcam invaſerit, ut periculoſum omnino ſit Græcis Interpretibus adhærere, cum diſcrimen aliquod inter Hebraicum, & Græcum codicem intercedit? Probabile autem eſt, antiquos Sanctos Patres hunc errorem non animadvertiſſe; quippe qui hiſtorias omnes ex Lxx verſione compilabant, cum nullus eſſet tunc temporis linguæ Hebraicæ uſus, nec critices ſtudium exerceretur, per quam veritas in apricum profertur, & eluceſcit.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO XI.

Exodi cap. 2. verſ. 10.

וַתִּקְרָא שְׁמוֹ מֹשֶׁה וַתֹּאמֶר כִּי מִן
הַמַּיִם מְשִׁיתִהוּ׃

Et vocavit nomen ejus Moſes, & dixit, quia ex aquis extraxi eum.

NOmen מֹשֶׁה ab origine Hebraica deſcendere, & pro מָשׁוּי participio Pahul *extractum* ſignificante adhibitum eſſe, a radice מָשָׁה, quæ de extractione ex aquis uſurpatur lib. 2. Samuel. cap. 22. v. 17. Pſalm. 18. v. 16. non eſt, cur dubitemus. Cum enim aquis in fiſcella ſcirpea legislatorum maximus jactaretur, conſpectuſque eſſet a Pharaonis filia, quam nuptam, ſed ſterilem, ideoque natorum cupi-

Digitized by Google

dam fuiſſe * Clemens Alexandrinus refert, ab ipſa ad miſericordiam mota extrahi juſſus, Moſis nomine fuit nuncupatus, ratione denominationis hac adiecta כִּי מִן חַמַּיִם מְשִׁיתִהוּ, *quia ex aquis extraxi eum*. Multi quidem autores, quod non inficiamur, huic contrariam ſententiam tuentur. Præſtant vero id ceteris acrius Philo Judæus lib. 1. de vita Moſis, & Joſephus lib. 1. contra Appionem. Sed autoritas vel Joſephi, vel Philonis tanti apud nos hac in re non eſt, ut in eorum gratiam Hebraicam veritatem deſeramus. Novimus enim, eos admodum ſuſpectos eſſe inter eruditos de Hebraiſmo, præſertim cum non Hebraice, ſed Græce ſcripſerint, ſintque tantummodo gente Judæi, cetera Græci. Favet nobis conſenſus ceterarum linguarum, Nomen משה retinent Chaldæi, Syri

* *Lib.* 1. *Strom.*

Digitized by Google

ri per ܡܘܫܐ, Samaritani ࠌࠔࠄ, Arabes موسي, Perſæ verò موشه reddunt, retentis iiſdem literis; niſi quod ex lege literarum אהוי, quæ facile inter ſe commutantur, loco ה Syrus ܐ, Arabs vero ي elegerit. Ex quo patet, non aliunde radicem hujus nominis מֹשֶׁה deducendam eſſe, quam a verbo Hebraico מָשָׁה, quod *extrahere* ſignificat. Nonnulli autem, ut probent, puerum hunc ex aqua extractum neque a matre, neque a filia Pharaonis nomine מֹשֶׁה fuiſſe appellatum, plurima nomina in medium proferunt, quibus paſſim apud Hebræos nuncupatur. Sed velim ſciant, hæc nomina poſt impoſitum Moſi nomen ad ejus laudem, & gloriam ab iiſdem fuiſſe excogitata, ut ex eorum allegorica explicatione re-

rum ab ipſo geſtarum magnitudo colligeretur. Hinc D. Hieronymus in quæſtionibus, ſive traditionibus Hebraicis in Paralipom. inquit: *Moſes ideo* Jared *vocatur, ideſt deſcendens, quod e monte deſcenderit:* Pater Gedor, *ideſt ſepium, quod quaſi quadam ſepis lege populum circumdederit:* Heber, *junctor, eo quod populum Dei ſervitio junxerit:* Pater Socho, *ideſt prophetiæ, eo quod ipſe ſit doctor prophetarum:* Icuthiel, *ideſt ſperans in Deum, eo quod ſpem habuerit liberandi populum de Ægypto; ſive quod ſpe parentum de aquæ periculo liberatus ſit:* Pater Zonah, *ideſt gubernator, eo quod magnam populo in eremo gubernationem exhibuerit, ſive quod doctrina ſua quotidie gubernaret.* Hebræi quippe voluerunt innuere, quomodo ex rebus geſtis Moſes appellari potuerit, non autem his, ſimilibuſque nominibus fuiſſe nuncupatum.

Digitized by Google

QUÆSTIO XII.

Exodi c. 4. verſ. 24.

וַיְהִי בַדֶּרֶךְ בַּמָּלוֹן וַיִּפְגְּשֵׁהוּ יְהוָה

וַיְבַקֵּשׁ הֲמִיתוֹ׃

Et fuit in via in diverſorio, & occurrit ei Dominus, & quæſivit eum interficere.

CUm in ſuperiori capite admodum benigne, & familiariter Deus cum Moſe ſe geſſerit, eique mandaverit, quæ coram Rege Pharaone ſuo nomine loqueretur, & faceret; nunc vero repente ei hoſtiliter in diverſorio occurrere, & mortem minitari dicatur; profecto id adeo durum, & inſolens Interpretibus nonnullis cum Chriſtianis, tum Judæis videtur, ut non ipſi Moſi, ſed filio ipſius terrores, mi-

Digitized by Google

naſque propoſitas arbitrentur. Verum ſi res ipſa tota diligenter, & exacte excutiatur, verborum ambiguitas prorſus tolletur, Moſique, non infanti oblatam eſſe mortem apparebit. Cum enim ſuperius viam ingredi Moſes juſſus ſit, cur hic non intelligatur in via fuiſſe, & in diverſorio? Quo autem pacto infanti neglectæ a parentibus circumciſionis pœna luenda? Zipporæ, Moſique culpæ tribuendum, puerum ultra octo dies incircumciſum geſtantibus contra traditum divinæ legis præceptum. Quod ſi autem verba וַיִּפְגְּשֵׁהוּ וַיְבַקֵּשׁ הֲמִיתוֹ, *& occurrit ei, & voluit eum occidere*, … filium Moſis eſſent referenda, an non Scriptura Sacra paulo poſt dixiſſet, circumcidit עָרְלָתוֹ, *præputium ejus*, non autem בְּנָהּ *filii ſui*? Quid enim opus fuiſſet, illum iterum nominare, cujus mentio facta jam an-

antea eſſet? Itaque aſſerendum videtur, de Moſe verba illa eſſe accipienda, ut D. Hieronymus quoque in comment. ad Galatas 5. fatetur; non tantum וַיְהִי סד, ſed etiam reliqua וַיִּפְגְּשֵׁהוּ יְיָ וַיְבַקֵּשׁ הֲמִיתוֹ, quibus ei occurriſſe Dominus, & interficere eum voluiſſe perhibetur.

QUÆSTIO XIII.

Exod. cap. 12. verſ. 6.

וְהָיָה לָכֶם לְמִשְׁמֶרֶת עַד אַרְבָּעָה עָשָׂר יום
לַחֹדֶשׁ הַזֶּה וְשָׁחֲטוּ אותו כֹל קְהַל
עֲדַת־יִשְׂרָאֵל בֵּין הָעַרְבָּיִם׃

Et ſit vobis in cuſtodia, ſc. agnus, *uſque ad quartam decimam diem menſis hujus*, *& mactabit illum univerſa multitudo domus Iſrael inter duas veſperas*.

STatam diem immolationis agni Paſchalis, & comeſtionis ex inſtituto divino fuiſſe decimam quartam menſis נִיסָן, hoc eſt *Martii*, ad veſperam, ex Sacra Scriptura colligitur. Sed ex ambiguitate dictionis בֵּין הָעַרְבָּיִם *inter duas veſ-*

pe-

peras difficultas oritur, utrum ineunte die decimo quarto, an vero ineunte die decimo quinto hæc immolatio fieri conſueverit, cum apud Judæos dies naturalis a veſpera inciperet, & in ſequentem veſperam deſineret, ut ex creationis hiſtoria comprobatur. Vario modo verba illa בֵּין הָעַרְבַּיִם *inter duas veſperas* ab Interpretibus explicántur. Sunt, qui per illa ſignificari volunt totum intervallum, & tempus interjectum inter veſperam diei decimæ quartæ, & decimæ quintæ; ex quo inferunt, qualibet hora licuiſſe immolare, & comedere agnum Paſchalem. At quid abſurdius? Clare enim Deuteronom. cap. 16. v. 6. habetur: תִּזְבַּח אֶת־הַפֶּסַח בָּעָרֶב כְּבוֹא הַשֶּׁמֶשׁ מוֹעֵד צֵאתְךָ מִמִּצְרָיִם׃ : *immolabis Phaſe veſpere ad Solis occaſum, quando egreſſus es de Ægypto*. Alii, ut R. Salomò, R. Kin-

Kinkì, R. Simeon per *duas veſperas* indicari exiſtimant totum tempus pomeridianum uſque ad Solis occaſum, duplicemque veſperam apud Judæos conſtituunt; alteram videlicet ante Solis occaſum, alteram poſt Solis occaſum. Hæc duplex veſpera ex Euangeliſtæ Matthæi capite 14. non obſcure colligitur. Antequam enim narret miraculum quinque panum in gratiam turbæ fame laborantis auctorum verſ. 15. *veſpere autem facto*, inquit, *acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus dicentes: deſertus eſt locus, & hora jam præteriit: dimitte turbas, ut euntes in caſtella, emant ſibi eſcas*: mox, narrato miraculo, ſubjicit verſ. 23. *& dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus orare. Veſpere autem facto ſolus erat ibi*. Quid clarius? Duplex eodem die veſpera ab Euangeliſta diſtinguitur, altera ad occaſum Sole præcipitante, altera poſt Solis occaſum. R. autem Aben

Eſrà

Eſrà per tempus *inter duas veſperas* intelligi vult crepuſculum veſpertinum inter Solis occaſum, & initium noctis intercedens. Hanc poſteriorem ſententiam ceteris magis probabilem eſſe cenſemus ex eo, quia immolatio agni Paſchalis eodem tempore præcipitur facienda, quo initium comedendi azyma ſtatuitur, videlicet poſt occaſum Solis diei decimæ quartæ, nimirum incipiente die decima quinta: Exodi cap. 12. verſ. 18. בָּרִאשֹׁן בְּאַרְבָּעָה עָשָׂר יוֹם לַחֹדֶשׁ בָּעֶרֶב תֹּאכְלוּ מַצּוֹת עַד יוֹם הָאֶחָד וְעֶשְׂרִים לַחֹדֶשׁ בָּעָרֶב׃ *primo menſe, quarto decimo die ejus menſis veſpere comeditote azymos uſque ad diem vigeſimum primum ejuſdem menſis veſpere*. His igitur poſitis, aimus, Judæos agnum Paſchalem aſſatum comediſſe die decimo quinto נִיסָן, *Niſan* ineunte, non vero ineunte die decimo quarto. Patet enim Ju-

Judęos ex Ægypto eodem die egreſſos eſſe, quo Paſcha primum comederunt, qui dies Numerorum cap. 33. verſ. 3. dicitur fuiſſe חֲמִשָּׁה עָשָׂר יוֹם לַחֹדֶשׁ הָרִאשׁוֹן : *decimus quintus dies mẹnſis primi*. Itaque ſi hoc die ex Ægypto Iſraelitæ egreſſi ſunt, neceſſario infertur, eoſdem ineunte die decimo quinto Paſcha comediſſe. Præterea probatur ſententia noſtra ex ſupputatione dierum azymorum. Terminus dierum azymorum conſtituitur veſpera diei 21. *Niſan* Exodi cap. 12. v. 18. בָּרִאשֹׁן בְּאַרְבָּעָה עָשָׂר יוֹם לַחֹדֶשׁ בָּעֶרֶב תֹּאכְלוּ מַצּוֹת עַד יוֹם הָאֶחָד וְעֶשְׂרִים לַחֹדֶשׁ בָּעָרֶב׃ *primo mẹnſe, quarto decimo ejus menſis veſperę comeditotę azymos uſque ad diem vigeſimum primum ejuſdem menſis veſpere*. Si igitur retro numeres ſeptem dies a die 21. *Niſan* exeunte, initium dierum azymorum incidet in veſperam diei decimi quarti *Niſan*,

Digitized by Google

ſan, ſeu initium diei decimi quinti. Atqui ex Scriptura colligitur, azymorum dierum initium, & agni Paſchalis comeſtionem eodem die legali celebratam eſſe, ut Exodi cap. 17. verſ. 6. & 17: neceſſe ergo eſt, Judæos agnum Paſchalem, ineunte die decimo quinto, comediſſe.

Digitized by Google

QUÆSTIO XIV.

Exodi cap. 12. verſ. 29.

וַיְהִי בַּחֲצִי הַלַּיְלָה וַיהוָה הִכָּה כָל־בְּכוֹר
בְּאֶרֶץ מִצְרַיִם׃

Et fuit in media nocte, & percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.

CUm Deus ſibi de Ægyptiis ultionem reſervaverit, quæritur, utrum cędes primogenitorum in Ægypto a Deo ipſo facta ſit, an alieno miniſterio, videlicet Angelorum ſit uſus. Ex Judæis multi, cędem hanc ipſius Dei opus extitiſſe mordicus tuentur, ut ex Menaſſeh Ben Iſrael legis conciliatore quæſtione 14. in Exodum colligitur. Nos vero ſicuti plagam hanc decimam Ægyptiis inflictam a Deo agnoſcimus, ita nulla ratione ad-

du-

Digitized by Google

duci poſſumus, ut Angelorum miniſterium in ea infligenda excludamus. Conſtat quidem nobis, quantopere urgeant nonnulli verba illa אֲנִי יְהוָה, *ego Dominus*, multoties hac in re uſurpata. Fatemur ultro cauſſam primariam illis deſignari, at cauſſam miniſtram excludi omnino negamus. Cur enim executionis miniſtrum rejiciamus, cum ab ipſa * Sacra Scriptura exhibeatur, לֹא יִתֵּן הַמַּשְׁחִית לָבֹא אֶל־בָּתֵּיכֶם לִנְגֹּף׃, *non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere*? Favet etiam nobis Chaldaica verſio, quæ verba Hebraica aliter vertit: וְאִתְגְּלֵי בְּאַרְעָא־דְמִצְרָיִם *& apparebo in terra Ægypti*. Arabica vero melius, & clarius فاجلي ملكي *& manifeſtabo Angelum meum*, ex quibus apertiſſime conſtat in ſupplicio hoc inferendo manifeſtaſſe ſe Deum per cauſſam miniſtram. Ea igi-

* *Exod. c. 12. v. 23.*

Digitized by Google

igitur verba אֶעֱבֹר אֲנִי יְהוָה , *tranſibo ego Dominus*, אַכֶּה אֲנִי יְהוָה *percutiam ego Dominus* certum minarum eventum, & ſingularem quandam plagæ rationem innuunt; ut videlicet crederent Ægyptii cum Iſraelitis, verbis Moyſis eventum reſponſurum, omniaque non caſu, & fortuito, ſed Dei conſilio exitum a Moyſe prænunciatum ſortitura. Hinc quotieſcunque in Sacra Scriptura dicitur Deus apparuiſſe, fere ſemper de Angelis intelligendos eſſe textus certum eſt, cum alioquin ſine ulla neceſſitate ordo miniſtrantium Deo mutaretur, quod eſſet abſurdiſſimum. Sic quamvis per Angelum Sodoma deleta ſit, ait Scriptura, Gen. c. 19. וַיהוָה הִמְטִיר *& pluere fecit Dominus*: ſic Exodi cap. 13. verſ. 21. וַיהוָה הֹלֵךְ לִפְנֵיהֶם יוֹמָם: *& Dominus ivit ante eos interdiu*,

diu, qui locus explicatur cap. 14. verſ. 19. וַיִּסַּע מַלְאַךְ הָאֱלֹהִים, *& profectus eſt Angelus Dei*. Quid? in ipſa lege tradenda, quæ fuit omnium maximum, quod in Veteri Teſtamento geſtum eſt, cum per illam Deo peculiariter populus Iſrael conjungeretur, miniſterio Angelorum Deus uſus eſt, ut patet ad Galatas cap. 3. verſ. 19. *Lex ordinata eſt per Angelos in manu mediatoris*. Attamen nonne Angelus locutus eſt tanquam Deus dicens Exodi c. 20. אָנֹכִי יְהוָה אֱלֹהֶיךָ אֲשֶׁר הוֹצֵאתִיךָ מֵאֶרֶץ מִצְרַיִם׃, *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti* &c.? Obſequio enim Angeli ſunt, quotieſcunque apparent, vel aliquid agunt; autoritate tamen ſunt Deus, quippe qui Dei vicem gerunt, ipſumque repræſentant.

Digitized by Google

QUÆSTIO XV.

Exodi cap. 34. verſ. 29.

וּמֹשֶׁה לֹא יָדַע כִּי קָרַן עוֹר פָּנָיו בְּדַבְּרוֹ אִתּוֹ׃

Et Moyſes ignorabat, quod cornuta eſſet facies ſua, dum loqueretur cum eo.

CUlpa profecto non vacat plerunque Poetarum vulgus, qui ad aures demulcendas, hominumque animos detinendos multa contra veritatem fingunt, & eo magis in hoc ſibi placent, quo majorem ſibi habendam fidem intelligunt. Pictores quoque, quibus juxta Romanę lyrę fidicinem *quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas*, ſpectantium oblectaturi oculos colorum fuco illitas imagines, & tabulas proponunt, quas nec ſpeciem perſonæ, nec rem veram exprime-

re

Digitized by Google

re ſatis ſuperque cognoſcunt . Sed ſicut de ſacris Poetis nihil tale licet ſuſpicari , quibus non tam erat curæ , ut carminum ſuavitate , & dulcedine homines allicerent, quam ut eoſdem a vitiis abductos ad honeſtatem, rectitudinemque compellerent ; ſic pictorum etiam Chriſtianorum intererat , ſacros præcipue viros , & hiſtorias non ſub qualibet imagine , & effigie deſcribere , ſed congrua , & rei accommodata delineare . Itaque errare mihi non mediocriter videntur ii , qui Iſaacum immolandum pingentes poplitibus innixum , patrem autem Abrahamum a tergo ſtricto gladio ictum intentantem exponunt . Quomodo enim ante aram procumbentem oculis ſubjiciunt , cum Scriptura lignorum ſtrui eum impoſitum apertiſſime aſſerat ? quomodo genibus innixum , cum manibus , pedibuſque a patre vinctum inſtar pecudum ad cædem ductarum affir-

 met?

Digitized by Google

met ? quomodo Abrahami a tergo ſtantis gladio armatam manum, cum non gladio, ſed cultro victima jugularetur ? Non pauca certe hujuſmodi poteſtatis ad arbitrium fingendi quidvis exempla quotidie nobis proponuntur, inter quæ Moſis effigies recenſenda, in quo efformando, & delineando ſtatuarii, & pictores ſibi adeo placuere, ut viri tam inſignis, & divini, niſi duobus in vertice eminentibus cornubus, exprimi non poſſe vultum exiſtimaverint. Itaque ut verus, & germanus Sacræ Scripturæ in deſcribenda Moſis facie ſenſus clarius appareat, ad fontem ipſum Hebraicum confugiemus, ut, an purus hic rivulus fluat, experiamur. Ille habet: *& Moſes ignorabat*, כִּי קָרַן עוֹר פָּנָיו: quæ verba Targum Onkeli ita *παραφράζει*, אֲרֵי סְגִי זִיו יְקָרָא דְאַפּוֹהִי, *quod multiplicatus erat ſplendor*, ſive co-

corona vultus ejus. Eodem modo etiam Jonathan, *quod glorificatus eſſet ſplendor aſpectus faciei ſuæ*. Ita Lxx ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τȣ̃ χρωτὸς τȣ̃ προσώπȣ αὐτȣ̃, *quod glorioſe ſplenduit aſpectus cutis*, ſcilicet *coloris faciei ſuæ*. Quid melius, & aptius ad voces Hebraicas exprimendas? Cum enim קָרַן a nomine קֶרֶן *cornu* derivetur, admodum appoſite Interpretes radios ſplendoris inſtar cornuum emittendi ei ſignificationem tribuunt. Quemadmodum enim ex animalium fronte cornua exſurgunt, ita radii quodammodo e lumine emergere, & dilatari paulatim videntur. Itaque non tantum vocis etymologiam defendimus, ſed uſum ſequimur, *quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi*. Rabbini hoc loco, ut more ſuo mordicus propriam, & literalem verbi קָרַן ſignificationem tueantur, comminiſcuntur a Moſe cor-

nuto oculos Sammaeli fuiſſe erutos, quem מַלְאַךְ מָוֶת, ſcilicet *angelum mortis* appellant. Itaque hunc Sammaelem tanquam alterum Argum oculorum plenum eſſe affirmant, ægrotiſque morti proximis adeſſe, ut in eorum ora guttam fellis ex gladio pendentem, quem manibus tenet, infundat, ex qua moriantur: ad ejus aſpectum mortem ſtricto gladio minitantis ægrotos totis artubus contremiſcere, pavere, trepidare, atque os aperire, in quod gutta prolapſa mori, totumque corpus flavo colore circumfuſos fieri putridos, & contabeſcere. Sed quis non videt hæc, & his ſimilia eſſe meras Talmudiſtarum nugas, & commenta? Hinc Summi Pontifices, qui vulgatam verſionem diligenter corrigendam, emendandamque curarunt, verbum *cornuta* retinuerunt, cum non proprie, ſed metaphorice illud ſumendum

Digitized by Google

dum cuilibet facile patere cognoſcerent. Et ſane ſi accuratius in vocem קֶרֶן *cornu* ſæpiſſime in Sacra Scriptura adhibitam inquiratur, nonne manifeſtum fiet, eam uſurpari ad indicandam hominum poteſtatem, virtutem, gloriam, fortitudinem? Hinc lib. 1. Samuelis c. 2. v. 1. עָלַץ לִבִּי בַּיהוָה רָמָה קַרְנִי בַּיהוָה; *exultavit cor meum in Domino, exaltatum eſt cornu meum in Domino*. Sic Pſalmo 74. verſ. 6. אַל תָּרִימוּ לַמָּרוֹם קַרְנְכֶם; *nolite extollere in altum cornu veſtrum*, & verſ. 11. וְכָל־קַרְנֵי רְשָׁעִים אֲגַדֵּעַ תְּרוֹמַמְנָה קַרְנוֹת צַדִּיק; *& omnia cornua peccatorum ſuccidam, exaltabuntur cornua juſti*. Adde, adhiberi etiam ad deſignanda regna, & principatus, quorum majeſtas in potentia, fortitudine, & robore conſiſtit: ita Jeremiæ cap. 48. v. 25. נִגְדְּעָה קֶרֶן מוֹאָב, *abſciſſum eſt cor-*

nu Moab. Quamobrem Moſes dicitur cornutus, non quidem proprie, ſed metaphorice, non ex locutione. vulgi, ſed Biblica, ut nimirum ejus majeſtas, & dignitas in populo electo ſignificaretur, * cujus curæ tanquam Regi, & principi a Deo Optimo Maximo commiſſus erat, atque concreditus.

QUÆ-

* *Exodi cap.* 3.

Digitized by Google

QUÆSTIO XVI.

Exodi cap. 38. verſ. 8.

וַיַּעַשׂ אֵת הַכִּיּוֹר נְחֹשֶׁת וְאֵת כַּנּוֹ נְחֹשֶׁת
בְּמַרְאֹת הַצֹּבְאֹת אֲשֶׁר צָבְאוּ
פֶּתַח אֹהֶל מוֹעֵד׃

Et fecit labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant ad oſtium tabernaculi.

CUm mulieres ad oſtium tabernaculi excubantes ſpecula, quibus formam curare ſolitæ, obtuliſſe dicantur, ut iis Aaron ad cultum divinum uteretur; quæritur, quonam pacto dictio בְּמַרְאֹת vertenda ſit; utrum ſignificet *de*, vel *ex ſpeculis*, an vero *cum ſpeculis*. Juxta enim variam ejus ſignificationem variæ etiam autorum ſenten-

tiæ

Digitized by Google

tiæ ſunt . Alii nimirum non ex ſpeculis labrum confectum volunt, ſed ex ære ; ſpecula autem labro fuiſſe affixa , vel undique ei inſerta , ut Sacerdotes ſacris operaturi , & ex labro loti ad ſpecula veſtes ſibi accommodarent . Alii vero ſpecula in rudem materiam a Bezeleel artifice fuiſſe converſa , & ex iis labrum conflatum . Nos poſteriorem ſententiam amplectimur naturam præpoſitionis ב ſecuti, quę cauſſam materialem ſæpiſſime in ſacris literis deſignat , & ut plurimum *de* , vel *ex* ſignificat . Sic Exodi c. 12. v.33. כָּל־בֶּן־נֵכָר לֹא־יֹאכַל בּוֹ׃, *omnis filius alienigenæ non comedet ex eo* : ſic Levitici cap. 8. ver. 32. וְהַנּוֹתָר בַּבָּשָׂר וּבַלָּחֶם בָּאֵשׁ תִּשְׂרֹפוּ׃, *& quod reliquum fuerit in carne , & panibus , igne combureti*s , id eſt , *quod reliquum fuerit ex carne , & panibus* . ſic Deuteronomii c. 6. v. 5.

וְאָהַבְתָּ אֵת יְהוָה אֱלֹהֶיךָ בְּכָל־לְבָבְךָ וּבְכָל־נַפְשְׁךָ וּבְכָל־מְאֹדֶךָ׃, *& diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Huic autem ſententiæ ſuffragamur innixi etiam tum autoritate Lxx vertentium ἐξ εἰσόπτρων; tum Vulgatæ; tum teſtimonio Philonis Judæi lib. 3. de vita Moſis dicentis: *extra veſtibulum tabernaculi in primo aditu labrum erat aheneum; non ex rudi materia, ut fere fit, fabrefactum, ſed ex vaſis jam antea expolitis in uſum tamen alium, quæ mulieres mira alacritate certatim contulerant: ſpecula enim, ad quæ formam curare ſolita fuerant, ſponte, nemine jubente, Deo dedicaverant: hæc ad ſe delata opifex in unam maſſam confudit.* Ex quibus omnibus nobis perſuademus, labrum factum fuiſſe ex ſpeculis. Qui igitur contrariam ſententiam tuentur, exiſtimant, ſpecula a mulieribus oblata fuiſ-

Digitized by Google

fuiſſe vitrea, neque ex alia materia potuiſſe conſtare, quod falſiſſimum eſt. Præterquamquod enim ex R. Aben Eſrà habetur, Judæorum mulieres ſolitas fuiſſe aptare ſibi tiaras ad ænea ſpecula; plane videmus, etiam id temporis ex metallorum commiſtione, vel ex chalybe ſpecula ita levigata, & terſa conflari, ut vel ex cryſtallo confecta aptius, & verius intuentium vultus non referant. Quamobrem cur ex ęre confici non potuerunt, præſertim cum etiam ex Plinio, Vitruvio, & Torniello colligatur, Romanorum, aliorumque veterum ſpecula e ſtanno, argento, & ære ſimul conflatis fieri conſueviſſe; & Zonaras narret a Proclo, & Archimede hoſtium naves ſpeculis æneis fuiſſe combuſtas?

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO XVII.

Levitici cap. 8. verſ. 8.

וַיָּשֶׂם עָלָיו אֶת־הַחֹשֶׁן וַיִּתֵּן אֶל־הַחֹשֶׁן
אֶת־הָאוּרִים וְאֶת־הַתֻּמִּים׃

Et aptavit illi, hoc eſt Ephod, *rationale*, *& appoſuit rationali Urim*, *& Tummin*, vel ut vertit Vulgata, *Doctrinam*, *& Veritatem*.

ΧΑλεπὰ τὰ καλά: *difficilia, quæ pulcra*, ut tritum eſt vetuſtate proverbium, ita maxime experientia comprobatum. Illud enim eſt pulcherrimarum, optimarumque rerum ingenium, ut, quidquid boni habeant, & præſtantis, in apricum non proferant, ſed pulcritudinem ſuam, & bonitatem ſæpe ſolo nomine polliceantur. Ex quo fit, ut nos occulta quadam naturæ

ræ vi compulſi antea non acquieſcamus, quam ſolidam, germanamque; ſi fieri poſſit, earundem cognitionem aſſequamur. Quis, quæſo, ignorat prope innumeris ſacras literas venuſtatis, & pulcritudinis exemplis eſſe refertas, eadem tamen exempla latere altiſſimis, & denſiſſimis myſteriorum latebris involuta? Nomina quidem novimus, rerum vero ipſarum naturam, & proprietatem vel nullo prorſus modo, vel difficillime poſſumus intelligere. In Aaronem maximum gentis Judaicæ Sacerdotem, Summi, & vere Maximi Pontificis Jeſu Chriſti typum clariſſimum oculos pauliſper converte. En quæ, & quanta totius oris majeſtas, quanta muneris dignitas, quantus veſtium decor, & ornamentum! at quot myſteria, quot recondita, quot cognitu difficilia tibi contemplanti ſtatim proponuntur? Omnia perpendere imbecillitatis noſtræ peni-

Digitized by Google

nitus conſcii non annitimur ; partem ſolummodo eorum, quæ Aaronis pectorali inſerta fuere, nimirum Urim, & Tummim in animo eſt examinare. Verum cum negotium multis difficultatibus impeditum aggrediamur, tyrones in arte pingendi imitari conabimur, qui rerum imagines vivis coloribus apposite exprimere neſcientes, ductis lineis, & tenui penicillo eaſdem adumbrant. Itaque ut ab ovo, quemadmodum ajunt, principium ſumamus, ὀνοματοσκεψίαν, ſcilicet nominum evolutionem premittimus, juxta illud Platonis in Gorgia, ὃς τὰ ὀνόματα οἶδεν, οἴσεται καὶ τὰ πράγματα, ut ad rerum ſcientiam per nominum cognitionem facilius perveniamus. Quod igitur ſpectat ad voces אוּרִים, & תֻּמִּים conſtans Lexicographorum ſententia eſt, eas ab origine Hebraica deſcendere, alteram quidem a radice אור *lucere*, al-

alteram vero a radice תָּמַם *perfectum eſſe*. Si vero, quid fuerint, Urim, & Tummim, inveſtiges, adeo variæ ſunt, ancipiteſque cum Hebræorum, tum Chriſtianorum ſententiæ, ut facilius inter horologia, quam inter eos conveniat. Quidam enim contendunt, Urim, & Tummim fuiſſe duodecim ipſas gemmas pectorali inſertas. Alii fuiſſe opus a lapidibus diverſum ex auro, & argento confectum exiſtimant. Alii volunt fuiſſe ſcripturam nominis יְהוָה, Urim dictam, quia veluti ignis dubia Iſraelitarum illuſtrabat; & Tummim, quia Summum Sacerdotem perfectum reddebat. Alii denique putant dicta fuiſſe Urim, & Tummim, quaſi iis Sacerdos ad doctrinam, & morum probitatem omni conatu ſibi comparandam excitaretur. Nos in tanta ſententiarum diſcrepantia non audemus aſſignare, quid fuerint Urim, &

Tum-

Digitized by Google

Tummim, ſed tantum aſſerimus fuiſſe quid diſtinctum a duodecim gemmis pectorali inſertis. Hoc nobis ſuadet planus, & ſimpliciſſimus Scripturæ ſenſus. Cum enim Moſes Exodi cap. 28. multis deſcripſiſſet duodecim rationalis gemmas, & ſtatim ante hoc præceptum de apponendo rationali Urim, et Tummim rurſum duodecim gemmarum clare meminiſſet; quorſum, quæſo, eaſdem paulo poſt adeo obſcuris, & abſtruſis nominibus Urim, & Tummim inculcaret? Neque deeſt autoritas Sanctorum Patrum huic ſententiæ confirmandæ, videlicet D. Auguſtini quæſtione 117. in Exodum, D. Hieronymi ad Fabiolam, & S. Cyrilli in expoſitione Symboli Niceni; quos ſequuntur Bellarminus, Philo, & Victorinus. Quidquid autem contra hanc ſententiam objici poteſt, facile diluitur ratione ex ipſo Sacræ Scripturæ textu petita. An non enim

F Deus

Digitized by Google

Deus rationali jam perfecto, & abſoluto Urim, & Tummim apponi mandavit; lapides vero, ſive gemmas inſeri juſſit, cum adhuc rationale ſub artificum manu verſaretur? quid novo mandato opus fuiſſet, ſi idem plane cum gemmis fuiſſent Urim, & Tummim? Quanquam autem non ſtatuamus pro certo quid fuerint, omnino tamen eorum ſententiam explodimus, qui cenſent Urim, & Tummim idem fuiſſe, ac תְּרָפִים *teraphim*. Quod ſi cupias ſcire, quid nomine *Teraphim* apud Hebræos communiter intelligatur, ex Targum Hieroſolymitano colligitur, *Teraphim* fuiſſe confecta ex capite filii primogeniti mactati, ſale, & oleo conditi, ejus ori laminam auream Dæmonis nomine inſcriptam fuiſſe inſitam, lampades coram eo fuiſſe accenſas, & conſulentibus per Dæmonem datum reſponſum. Hinc qui hanc ſen-

ten-

Digitized by Google

ſententiam tuentur, ajunt, Urim, & Tummim imagines quaſdam exiguas fuiſſe ad humanam ſimilitudinem compoſitas, & in Aaronis pectorali collocatas, ut per eas in rebus dubiis conſilium a Domino peteretur. Verum quis credat, Deum inter res ſacras *Teraphim* permiſiſſe, cum qualibet ratione Iſraelitas ab Idololatria, aliiſque ſuperſtitionibus ſemper abducendos curaverit? Certum illud eſt apud omnes, Urim, & Tummim Sacerdotes uſos fuiſſe Deum conſulturos non de re qualibet, ſed de rebus magni momenti, & præcipue ad Judaicam rempublicam ſpectantibus. Hinc apud Romanos exortum morem, & conſuetudinem cenſendum eſt, ut Pontifices oracula conſulerent, aruſpices ex extis animantium, augures ex avium volatu futura divinarent. Illud vero hac in re ſciendum eſt, non licuiſſe cuilibet Sacerdoti interrogare Deum per U-

Digitized by Google

rim, & Tummim, ſed ſoli Pontifici Maximo, cum ſolus ſacrum pectorale poſſet induere, ſolus ſanctum ſanctorum ingrederetur, ſolus denique coram arca miniſtraret.

QUÆ-

QUÆSTIO XVIII.

Levit. c. 16. v. 8.

וְנָתַן אַהֲרֹן עַל שְׁנֵי הַשְּׂעִירִם גֹּרָלוֹת גּוֹרָל אֶחָד לַיהוָה וְגוֹרָל אֶחָד לַעֲזָאזֵל׃

Et dabit Aaron ſuper duos hircos ſortes, ſortem alteram pro Domino, & ſortem alteram pro Azazel.

INter varias figuras, quibus Meſſiæ cruenta oblatio in Veteri Teſtamento adumbrata fuit; principem mihi locum obtinere videntur ſacrificia illa, quæ quotannis feſto apud Hebræos die יוֹם הַכִּפּוּרִים dicto offerebantur. De illis autem ſacrificiis loquor, quæ feſti illius propria erant, quæque veſtibus non aureis, ut in diebus ſolemni-

Digitized by Google

tatis, & lætitiæ; ſed lineis amictus, tanquam in mœrore conſtitutus, & ſibi, & populo veniam peccatorum impetraturus Pontifex Maximus obtulit. Nimirum pro ipſo primum, ejuſque domo juvencus, & aries adducebatur, duo deinde hirci ex univerſa multitudine filiorum Iſrael ſumebantur, ut, jactis ſortibus, alter Domino mactaretur, alter vero vivus in deſertum educeretur. Sed quemadmodum res tota myſterio non vacat, ita a multis quæritur, quidnam per alterum hircum ſignificatum ſit, qui vivus in deſertum abigebatur, poſtquam Pontifex capiti ipſius manus impoſuerat, totiuſque populi peccata ſuper eodem erat confeſſus. Profecto ſi *in Levitico ſingula ſacrificia, imo ſingulæ pæne ſyllabæ, & veſtes Aaron, & totus ordo Leviticus ſpirat cæleſtia ſacramenta*, ut D. Hieronymus loquitur in epiſtola ad Paulinum; ritum quoque hirci emiſ-

miſſarii magnum aliquid ſignificaſſe nemo inficiabitur. Sed myſterii hujus ne minimam quidem partem Judæos eſſe aſſecutos, inde facile colligitur, quod, dum rationem exponere nituntur, cur ſolenni expiationis feſto, uno hirco Deo oblato; alter in deſertum emiſſus fuerit, tam varia, tam aliena a veritate, atque adeo impia enarrant, ut ſapientiam, quam a Salomone receſſiſſe in vaccæ rufæ quæſtione comminiſcuntur, ab illis hac in re aufugiſſe jure merito dicendum ſit. Itaque ut verus, ac germanus Scripturæ ſenſus appareat, juvat breviter textum examinare, qui ita habet Levit. c. 16. v. 8. וְנָתַן אַהֲרֹן עַל שְׁנֵי הַשְּׂעִירִים גֹּרָלוֹת גֹּרָל אֶחָד לַיהוָה וְגֹרָל אֶחָד לַעֲזָאזֵל׃, *& dabit Aaron ſuper duos hircos ſortes, ſortem alteram pro Domino, & ſortem alteram pro Azazel.* Quod igitur primum attinet ad vo-

cem עֲזָאזֵל, ea appellative pro capro emiſſario eſt accipienda. Compoſita enim eſt ex עֵז *caper*, & אָזַל *abiit*. Juxta Hebræos tamen עֲזָאזֵל mons fuit in deſerto non procul a monte Sinai, qui hoc nomen a capro illo, qui eo mittebatur, obtinuit. Verum cum apud Geographos nunquam de hoc monte mentio fiat, & Scriptura per appoſitionem montes fere denominare ſoleat; v. g. montes Ararat Geneſ. cap. 8. v.4. montem Galaad Geneſ. cap. 31. v. 21. montem Ebal, & montem Garizim Deuteronom. c. 11. v. 29. quilibet videt, ſententiam hanc nullo ſolido fundamento fultam ex ſe corruere. Græcus interpres pro voce Hebraica עֲזָאזֵל poſuit ἀποπομπαῖον, quo nomine apud Græcos malorum depulſores ſolent appellari. Hinc & Deos, quibus cultum, & honorem præſtiterunt,

runt; ut triſtia, & funeſta depellerent, & averruncarent, vocarunt ἀποπομπαίυς, aut ἀποτροπαίυς, aut ἀλεξικάκυς. Græci ergo eo nomine hunc caprum nuncupandum cenſuerunt, propterea quia peccata populi calamitatum omnium cauſſam, & originem ſecum in deſertum afferendo expiaret. Hebræorum porro traditio eſt, hunc caprum emiſſarium ex altiſſimo monte Azazel deturbatum fuiſſe a viro ad id muneris electo; hujus capri cornu funiculum rubeum fuiſſe alligatum, mox vertendum in albedinem, ſi Deus parceret, invariatum manentem, ſi populo adhuc iraſceretur. Hinc populum ex vario ſucceſſu varie ſe geſſiſſe. Funiculo enim in eodem ſtatu manente, quo prius erat, per totum annum omnes triſtari, ſordidatos incedere, pœnitentiam agere, precibus, & jejuniis veniam implorare; in albedinem autem converſo, læ-

tari,

Digitized by Google

tari, exultare, laudibus, & præconiis ſummam Dei clementiam, & bonitatem celebrare. Adeo autem hæc vera eſſe recutiti ſibi perſuadent, ut tempus etiam deſignare non dubitent, quo hoc ſingulare divinæ clementiæ, veniæque ſignum ceſſaverit, quadraginta ſcilicet annis ante templi excidium, & vaſtitatem. Sed cum Joſephus in Hebræorum ritibus recenſendis admodum ſollicitus, & accuratus hujus rei nullam penitus mentionem faciat, ceteris Talmudiſtarum commentis tanquam fabulam traditionem hanc adjungendam arbitramur, libenterque eos talia ſibi habere patimur; præſertim cum ipſi Hebræi priſci parum ſibi conſtantes mirum in modum varient in recenſendo illo miraculo, atque adeo ipſi ſibi contrarii ſint; illudque tantummodo contendimus, propriam, & germanam vocis עֲזָאזֵל radicem ab עֵז,

&

& אָזַל derivari, ita ut Azazel *caprum emiſſarium* ſignificet.

Cum autem in eodem textu jubeatur Aaron ab univerſa multitudine filiorum Iſrael duos hircos ſumere ad piaculare ſacrificium, deinde eos ante Dominum in ipſo tabernaculi aditu conſtituere, deque iis, uter Domino cederet, uter vero in ſolitudinem mitteretur, ſorte decernere; quæritur inter Interpretes tum Hebræos, tum Chriſtianos, quid illis ſit deſignatum. Hac in re in diverſa abeunt utrique. Hebræi autem non ſolum inter ſe diſſentiunt, ſed multa etiam adeo impia, & ſacrilega comminiſcuntur, ut vel ab ipſo R. Abarbenele magnopere damnentur. Quanquam autem idem alioquin cornicum, ut dicitur, oculos amet configere, hac in re tamen ſuis omnino ſimilis geminam explicationem adducit, qua ſe, ſuoſque in miſero, & diuturno e-

xilio ſoletur. Inquit itaque: שני השעירים ההם רמז לעשיו ויעקב שהיו שניהם אחים בני איש אחד ואשה אחת תאומים נולדים בשעת אחת: *gemini illi hirci denotant Eſavum, & Jacobum, unius viri, uniuſque femellæ filios gemellos, una, eademque hora natos.* Sed quis vel mediocriter in Judæorum ſcriptis verſatus ignorat, priſcorum, & recentiorum Judæorum ſententiam eſſe, altero illo hirco Eſavum, hoc eſt, Chriſti fideles deſignari? Apage nugas. Senſit & ipſe Abarbenel, hæc eſſe pura puta commenta. Quare paulo poſt in aliam ſententiam abiit ſubjiciens, altero hirco Deo mactato Iſraelitas pios, & religioſos, altero Azazel dicto & in deſertum abacto, impios, & ſceleſtos fuiſſe ſignificatos. Ait igitur: *Azazel eſt nomen compoſitum ex duabus dictionibus, nempe* עֵז*, &* אָזַל*, quaſi diceret, populus ibit ex ter-*

ra

Digitized by Google

ra ſua, cum ſit populus impudens, & ejus pœna in hoc mundo erit, ut eradicetur ex regione ſua, & longe a deliciis juſtorum, & ſplendore juſtitiæ removeatur. Eja *Pandite nunc Helicona Deæ, cantuſque movete*, ut tali, tantoque interpreti digna meritis præmia referantur. O illum miſerum, & infelicem, ſi per inſcitiam erraſſet, miſerrimum vero, & impudentiſſimum, cum prudens, & ſciens germanum verborum ſenſum detorquere auſus ſit! Quid (bone Deus!) ineptius, quam dicere, vocem עֲזָאזֵל ex עֵז, & אָזַל compoſitam ſignificare populum perfrictæ frontis in exilium abeuntem? Neque vero, ut ſolet ceteris in locis, ſententiam mutat, ſed in ea obſtinate perſtat, interpretationemque ſuam rationibus ex textu allatis probare pervicaciter urget. Sed habeat ſibi, per nos licet, rationes ſuas, atque adeo detorſiones,

nes,

nes, quas audire operæ pretium non eſt, cum ſcenæ tantummodo ſerviat, & contribulibus ſuis ſpem reditus in patriam facere per fas, nefaſque conetur. Itaque cum ex Sacra Scriptura legislatoris voluntas non eliciatur, de re hac omnino tacere præſtaret, quam incerta proferre. Veruntamen nos, quod Judæos adhuc malitioſe latet, Veteri, & Novo Teſtamentis inter ſe collatis, adeoque rei ipſius eventu edocti firmiter, & conſtanter poſſumus aſſerere, quid hirci mactatione, & peccatorum impoſitione ſignificatum ſit. Quemadmodum igitur per ſanguinem hircorum, & taurorum Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti ſanguis adumbratus eſt; ita * per ſanguinem hirci prioris, quo ſanctuarium, cornua altaris, & alia aſpergebantur, effuſio ſanguinis Meſſiæ eſt ſignificata, quo animus noſter ſceleribus contaminatus ablui-

* *Ad Hebr. c. 9. & 10.*

Digitized by Google

abluitur, & expiatur. Uti vero crucifixio Meſſiæ extra Hieroſolymam * per pellem, & carnem hirci extra caſtra combuſtam præfigurata eſt; ita per alterum hircum, ſuper quem Pontifex peccata populi in deſertum aſportanda confitebatur, Meſſias, ut typus, eſt deſignatus, qui pro totius generis humani ſceleribus pœnas rependit. Hanc autem ſententiam admittendam eſſe vel ex eo poteſt intelligi, quod iiſdem fere verbis Moſes, & Iſaias uſi ſunt, alter quidem dum hirco Iſraelitici populi peccata impoſita fuiſſe deſcribit; alter vero dum Meſſiam hominum iniquitates portaſſe recenſet. Hinc Moſes de hirco ait Levit. c. 16. v. 21. וְהִתְוַדָּה עָלָיו אֶת־כָּל־עֲוֹנוֹת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל וְנָתַן אֹתָם עַל רֹאשׁ הַשָּׂעִיר׃, *& confitebitur ſuper ipſo omnes iniquitates filiorum Iſrael, &* *ca-*

* *Ad Hebr. c. 13. v. 12.*

capiti hirci imponet : Iſaias autem c. 53. v. 6. יְהוָה הִפְגִּיעַ בּוֹ אֵת עֲוֺן כֻּלָּנוּ׃, *Dominus occurrere fecit in eum omnium noſtrum iniquitatem* : pariter Moſes de hirco eodem cap. v. 22. וְנָשָׂא הַשָּׂעִיר עָלָיו אֶת־כָּל־עֲוֺנֹתָם אֶל־אֶרֶץ גְּזֵרָה׃, *& feret hircus ſuper ſe omnes iniquitates illorum in terram abſciſſam* : Iſaias vero de Meſſia cap. 53. v. 4. חֳלָיֵנוּ הוּא נָשָׂא וּמַכְאֹבֵינוּ סְבָלָם׃ : *morbos noſtros ille tulit , & dolores noſtros portavit* . Ex quibus omnibus manifeſte patet ritu illo , & ceremoniis Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum in Levitico fuiſſe ſignificatum .

QUÆ-

QUÆSTIO XIX.

Numeror. cap. 12. v. 1.

וַתְּדַבֵּר מִרְיָם וְאַהֲרֹן בְּמֹשֶׁה עַל אֹדוֹת הָאִשָּׁה
הַכֻּשִׁית אֲשֶׁר לָקָח כִּי־אִשָּׁה כֻשִׁית לָקָח׃

Et locuta eſt Maria, & Aaron contra Moſem propter uxorem Æthiopiſſam, quam ſumſerat; quoniam uxorem Æthiopiſſam ſumſerat.

QUi operam ſuam in Æthiope dealbando collocant, laterem lavare vel communi proverbio exiſtimantur. Itaque cum nobis in animo ſit de Æthiopiſſa Moſis uxore ſermonem inſtituere, ne operam, oleumque perdere videamur, iis coloribus eam ſpectandam proponemus, quibus delineatam Scriptura legentium oculis exhibuit. Quæremus primum de ipſius nomi-

ne כֻּשִׁית , matrimonium deinde Moſis examinabimus ; poſtremo diſſidii, quam ipſa Æthiopiſſa Moſis uxor præbuiſſe dicitur , cauſſam exponemus . Quod igitur attinet ad ejus nomen כּוּשִׁית , a כּוּשׁ nomine proprio primogeniti filii Cham , unde ſuum Arabes , Æthiopeſque ſortiti ſunt , derivatur , ut ex omnibus Lexicis colligitur . Quoties itaque in Scriptura vox כּוּשׁ , & כּוּשִׁי occurrit , pro Æthiopia , & Æthiope ab omnibus verſionibus , & Interpretibus explicatur . Quare autem Zippora , quæ erat Midianitis , nomine כּוּשִׁית ſit appellata , inter Hebræos præcipue magna diſſenſio eſt , ſententiarumque diſcrepantia . Alii enim propter Æthiopicam nigredinem , & deformitatem hoc nomen ei inditum volunt ; alii vero per antiphraſim ob pulcritudinem ſingularem Æthiopiſſam di-

ctam

Digitized by Google

ctam exiſtimant. Nos eorum ſententiam ſequimur, qui Zipporam Æthiopiſſam appellatam contendunt non a colore, ſed a patria Midian ad Æthiopiam Orientalem ſpectante. Quamobrem Rabbi Salomò Aben Melech in Michlol Jophì:

אשה הכושית לפי שהיתה מדינית קראה כן
והיא צפורה ומדינים הם ישמעאלים כמו
שאמר והנה אורחת ישמעאלים ואחר כן
אמר המדינים מכרו אותו והם דרים באהלים
וכן כתוב ראיתי אהלי כושן ירגזון יריעות ארץ
מדין: , *Mulier Æthiopiſſa, hæc eſt Zippora, quæ quia erat Midianitis, ſic appellatur. Midianitæ autem erant iidem, ac Iſmahelitæ, ſicut dicitur* Geneſ. 37. 25. *& ecce turba Iſmahelitarum: & poſtea* v. 36. *dicitur: Midianitæ vendiderunt eum, & hi habitabant in tabernaculis juxta ſcripturam* Habacuc 3. *vidi tentoria Æthiopiæ, & commotæ ſunt pelles terræ Midian.* Cum igitur Midian, & Æthiopia ſimul conjungantur, vel

eædem, vel omnino proximæ regiones ſunt, ut exponit D. Hieronymus ſuper hunc locum. Atque hinc colligitur, cur Zippora כּוּשִׁית appelletur. Quod vero pertinet ad matrimonium Moſis, utrum plures uxores ſive ſimul, ſive deinceps habuerit, an unicam tantummodo, diſceptatur. Nos, rejecta Hebræorum, & nonnullorum Chriſtianorum ſententia, qui aſſerunt, Moſem cum pluribus matrimonio conjunctum vixiſſe, monogamum fuiſſe, & unicam tori ſociam, Zipporam ſcilicet habuiſſe, Scripturæ, & Patrum autoritate compulſi defendimus. Zipporam autem unam ex ſeptem filiabus Jethro Sacerdotis fuiſſe ex Exodi cap. 2. colligitur. Midian fuit Zipporæ patria, quæ trans Arabiam Petræam ad rubrum mare meridiem verſus ſita eſt, in qua urbe vel nata, vel certe educata Zippora fuit, Moyſique ad ne-

necem propter perpetratam Ægyptii cædem conquiſito, & ex Ægypto propterea fugienti, ſingulari Dei conſilio in matrimonium tradita. Multa quidem de occaſione hujus matrimonii more ſuo Judæi comminiſcuntur, quos refellere omnino ſupervacaneum, cum ex Sacra Scriptura, quomodo res geſta ſit, apertiſſime conſtet. Cede nimirum facta cum a Pharaone metu perculſus Moyſes fugeret, in terram Midian venit. Æſtu, moleſtiaque itineris defatigatus juxta puteum conſedit, quo gregibus ſuis potum hauſturi paſtores regionis illius conveniebant. Forte accidit, ut ad puteum cum ovibus Sacerdotis Jethro ſeptem filiæ adeſſent, quæ cum a paſtoribus prohiberentur, ne aquam haurirent, Moyſes, earum defenſione ſuſcepta, eos expulit, earumque gregi potum tribuit. Qua re cognita, ut de ſe bene merito gratias referret Sacer-

Digitized by Google

dos, eum ad ſe vocari juſſit, exceptumque convivio licet peregrinum per matrimonium Zipporæ filiæ ſuæ ſibi affinitate, & ſanguinis propinquitate devinxit. Jam vero diſſidium quoddam ex hac Zippora natum, & in Moyſem tandem derivatum, vel prima textus verba oſtendunt. Licet enim verbum דִּבֵּר anceps vocabulum ſit, quod in bonam, & malam partem poteſt adhiberi, ſi tamen cum præpoſitione ב conſtruatur, plerunque in malam partem accipitur. Hujus obtrectationis, & diſſidii cauſſam prçcipuam extitiſſe Mariam tum ordo, quia primo loco poſita, tum conſtructio feminina, ſcilicet תְּדַבֵּר ad ipſam ſpectans, tum denique ſupplicium ei divinitus inflictum clare demonſtrant. Sed hic tantum de cauſſa, ſive occaſione huic oblocutioni data inquirimus. Nam cum non ſo-

ſum in textu habeatur עַל אֹדוֹת הָאִשָּׁה הַכּוּשִׁית, *propter uxorem Æthiopiſſam*, ſed & ſequatur כִּי אִשָּׁה כוּשִׁית לָקָח, *quia uxorem Æthiopiſſam ſumſerat*, plerique Interpretum cauſſam in cognomine כּוּשִׁית quærunt; ſed quemadmodum varie hoc cognomen interpretantur, ita varias hujus obtrectationis cauſſas in medium proferunt. Nos, qui hypotheſin, qua tanquam lubrico fundamento adverſariorum ſententia nititur, tanquam falſam rejicimus, aimus cum Abulenſi, qui rem totam accurate, & diligenter expendit, hoc accidiſſe, ut dum Aaron, Maria, & Zippora, abſente Moſe, familiares ſecum ſermones conferrent, Maria, & Zippora mulierum more in ſermone longius provectæ, utra utri antecelleret, digladiarentur: cum autem Zippora gloriaretur, ſeſe vel ob id unum Mariæ anteponendam,

dam, quod viro copulata eſſet, cui Deus facie ad faciem loqueretur, furore percitam Mariam per contumeliam non ſolum illam Æthiopiſſam, ſive alienam a populo appellaſſe, ſed & de ipſo Moſe detraxiſſe; quam mœrentem ut ſublevaret, & ſuperbe ſe jactantem Zipporam contunderet, in hac contentione Aaronem adiuviſſe. Quam quidem ſententiam admodum probabilem eſſe cum ex verſiculo ſequenti ſecundo, tum ex verſiculo ſeptimo optime colligitur.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO XX.

Deuteron. c. 18. v. 15.

נָבִיא מִקִּרְבְּךָ מֵאַחֶיךָ כָּמֹנִי יָקִים לְךָ יְהוָה
אֱלֹהֶיךָ אֵלָיו תִּשְׁמָעוּן׃

Prophetam de medio tuo, de fratribus tuis, ſicut me, excitabit tibi Dominus Deus tuus, illum audietis.

JAndiu Atheorum, aliorumque, qui Sacram Scripturam improbe, & malitioſe impugnant, eamque veluti ſecum ipſa pugnantem indignis modis traducunt, tanta cępit eſſe copia, ut niſi eorum pervicaciæ opportune obſiſtamus, periculum ſit, ne illos *defendat numerus, junctæque umbone phalanges*. Suis enim verſutiſſimis technis, & machinationibus tendentes periculoſe in-

inſidias incautis, & imprudentibus, bone Deus!, quam glorioſe, & petulanter res apertiſſimas tanquam toto cęlo ſibi contrarias obtrudunt, quas in ſacris literis affirmant eſſe quam plurimas, Ipſius Chriſti, (quis crederet, niſi tam manifeſte pateret?) Apoſtolorum, & Euangeliſtarum ſcripta, & ſermones fere ſingulos temere carpunt, garriuntque, res plane diverſas in Veteri, & Novo Teſtamento imperite confuſas, & commiſtas eſſe. Neque vero ſolum Athei contra orthodoxos iniquo animo inſurgunt; incredula etiam, & exoſa Diis ęque, ac hominibus Judæorum natio cum his conjuncta conſpirat, ut eos locos, qui ex Veteri Teſtamento in Novo adducuntur, nulla ſecum cognatione conjunctos, atque adeo ſibi omnino contrarios eſſe, qualibet ratione velint perſuadere. Hoc vero ſi ullibi omni niſu conantur efficere recutiti, certe maxime in

lo-

Digitized by Google

loco celebri Deuteron. c. 18. v. 15. & ſeqq. ubi Prophetam ſicut Moſem ex Iſraele ſe excitaturum eſſe, Deus pollicetur. Quiſnam, quæſo, clarior, & apertior locus poteſt reperiri, in quo Meſſias, & Salvator nobis promittatur? Quinam vero majores teſtes eſſe poſſunt D. Petro Actor. c. 3. v. 22. & D. Stephano Protomartyre Actor. c. 7. v. 37. qui Chriſtum magnum illum, & Moſe haud minorem prophetam eſſe luculentiſſimis verbis profitentur? At his teſtibus licet omni exceptione majoribus non acquieſcunt verpæ, ſed temere objiciunt, nos Chriſti fideles hallucinari, dum verba illa כָּמֹנִי *ſicut me* de Chriſto eſſe intelligenda contendimus. Quamobrem magnum diſſerendi argumentum vaticinium hoc illuſtre nobis ſuppeditat, quod ad trutinam, ut dicitur, revocantes, diligenterque expendentes, Judæorum non

mi-

minus, quam aliorum interpretationem in medium proferemus, ſenſum verborum genuinum ab heterodoxorum detorſione pro virili vindicaturi. Itaque verba oraculi ita habent Deuter. c. 18. v. 15. נָבִיא מִקִּרְבְּךָ מֵאַחֶיךָ כָּמֹנִי יָקִים לְךָ יְהוָה אֱלֹהֶיךָ אֵלָיו תִּשְׁמָעוּן׃, *prophetam de medio tuo, de fratribus tuis, ſicut me, excitabit tibi Dominus Deus tuus, illum audietis*. Quod igitur ad Judæos attinet, etſi illi magno conſenſu locum hunc Chriſti fidelium interpretationi repugnare omnes contendunt, magnopere tamen variare in denominando objecto deprehenduntur. Alii enim, ut R. Aben Eſrà, & R. Bechai, ad Joſuam oraculum illud pertinere volunt; alii, ut R. Abarbenel, & Albo, de Jeremia intelligendum; alii denique, ut R. Gerundenſis, Alſchechus, Abendana, & Lipmannus

alio

alio quovis modo explicandum exiſtimant. Neque vero ex Chriſti fidelibus deſunt, qui licet de Chriſto, veluti omnium prophetarum capite, potiſſimum hic agi non negent, de quovis tamen propheta verba vaticinii pariter eſſe intelligenda arbitrentur. Nos Chriſto tantummodo vaticinium illud eſſe tribuendum defendimus, & ſententiæ noſtræ confirmandæ tanquam fundamentum nulla ratione labefactandum ſubſternimus textum, in quo propheta excitandus Moſi ſimilis futurus perhibetur. Cum vero Deuteron. c. 34. v. 10. expreſſe negetur, ullum prophetam Moſi ſimilem in Iſraele ſurrexiſſe; וְלֹא קָם נָבִיא עוֹד בְּיִשְׂרָאֵל כְּמֹשֶׁה אֲשֶׁר יְדָעוֹ יְהוָה פָּנִים אֶל־פָּנִים׃, *& non ſurrexit ultra propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem;* & ab ipſo R. Albo illud verbum עוֹד *ul-*

ultra explicetur בְּכֹל יְמֵי מֶשֶׁךְ הַנְּבִיאִים, *quoad prophetæ exiſterent*, liquido patet, fruſtra in Joſua, vel Jeremia, vel alio propheta infra Moyſem poſito hujus vaticinii complementum quæri; præterquam in Chriſto. Quod ſi autem etiam de aliis prophetis oraculum illud interpretari liceret, quam facile Judæi D. Petri, & Stephani autoritatem, & teſtimonium infirmaſſent, aſſerentes, quoſcunque prophetas a Moſe deſignari? Cum vero ſilentio ſuo eorum argumentum comprobarint, quis non videt, de Chriſto ſolummodo verba illa eſſe intelligenda? An non hoc manifeſte inſuper confirmat vox נָבִיא *propheta* ſingulari numero uſurpata, cum alibi fere ſemper plurali numero נְבִיאִים *prophetas* ſe excitaturum eſſe Deus promittat? Hæc ſatis eſſe arbitramur, ut quibuslibet prophetis vaticinium

iſtud

Digitized by Google

iſtud non poſſe accommodari manifeſtum appareat. Quid vero de R. Abarbenele dicemus, qui, ut hæc verba ad Meſſiam non eſſe referenda oſtendat, vocem כָּמֹנִי *ſicut me* alio detorquet, & in verbo *excitabo* comparationem ſitam eſſe, non in prophetiæ dignitate, & præſtantia contendit? Inquit enim לא שיהיה נביא אחר במדרגת משה רבנו ומעלתו כי אם שיהיה נבחר מאתו יתברך כמו שהיה נבחר משה לנבואתו: *Non eſt ſenſus, futurum prophetam alium in Moſis doctoris noſtri gradu, & dignitate, ſed quod ab ipſo Deo ſit eligendus; veluti Moſes ad ſuum munus propheticum.* Itaque juxta Abarbenelis ſententiam comparatio inter futurum prophetam, & Moyſem eſt penes vocationem, & electionem, non penes prophetiæ dignitatem. Quaſi vero Deus ita uni modo excitandi prophetas adſtri-

ctus

Digitized by Google

ctus ſit, ut alia, & diverſa ratione autoritatem ei, quem mittit, nequeat conciliare. Ut verum fatear, admodum tædet me in hujuſmodi ridiculis ſubtilitatibus, & gerris diutius immorari, quæ facillimo negotio ſolius Grammaticæ fundamentis divelluntur. Quis enim non videt, niſi ſe cæcum de induſtria ſimulet, ſacrum Hiſtoricum eo conſilio vocem כָּמֹנִי *ſicut me* uſurpaſſe, ut pateret, ea ſubiectum, quæque illud comitarentur, qualitates ſignificari? Particula כַּאֲשֶׁר *quemadmodum* procul dubio eſſet uſus, quæ modum agendi denotat, & ad verbum ſpectat, ſi tota comparatio eſſet in electione, & immediata vocatione hujus prophetæ. Ex ſitu præterea accentus Sakeph Katon apertiſſime colligitur, dictionem כָּמֹנִי *ſicut me* nullo modo pertinere

ad

ad verbum יָקִים *excitabit*, ſed ad ea, quæ præcedunt, eſſe referendam.

QUÆSTIO XXI.

Deuteron. c. 34. v. 5.

וַיָּמָת שָׁם מֹשֶׁה עֶבֶד יְהוָה בְּאֶרֶץ מוֹאָב
עַל פִּי יְהוָה׃

Et mortuus eſt ibi Moyſes ſervus Domini in terra Moab, jubente Domino.

PEccatum calamitatum omnium, mortiſque ipſius originem Moyſi quoque mortis immaturæ cauſſam extitiſſe nemo ſanæ mentis inficiabitur. Quanquam autem Rabbini complures, & ex Chriſti fidelibus nonnulli cenſentes eum immortalitate dignum, propterea quod לֹא קָם

נָבִיא עוֹד בְּיִשְׂרָאֵל כְּמֹשֶׁה אֲשֶׁר יְדָעוֹ יְהוָה פָּנִים אֶל־פָּנִים׃, *non ſurrexit ultra propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem*, locum citatum Deuteronomii ad ipſum ſpectantem non de morte ejus vera, & naturali intelligendum, ſed de tranſlatione contendant; nihilominus ipſum mortem cum aliis hominibus habuiſſe communem, animamque ejus a corpore fuiſſe revera ſeparatam acriter, conſtanterque defendimus. Dei juſſu, & voluntate eum mortuum fatemur, nullo virium defectu debilitatum, nullo conflictatum morbo concedimus. Novimus ex Sacra Scriptura validum in montem Abarim aſcendiſſe, in eo repentina morte correptum ſcimus. Quæ igitur Deus jubet, ſimulate, non vere, ficte, non reapſe evenire quiſquam ſibi perſuadeat? verbum Hebraicum מות *mori* ubique in Sacra Scriptura de

ve-

vera, & naturali morte uſurpatum hoc loco tantummodo inſolitam, inuſitatam, omnino diverſam a propria, & communi ſignificationem habere quiſquam credat? Quod ſi non vere mortuus, ut volunt, cur ab irato Domino præmatura morte multatum exhibent ſacræ literæ? cur tempus mortis exponunt? cur a filiis Iſrael defletum, ut mortuum Aaronem, narrant? cur denique in terra Moabitarum ejus ſepulcrum aſſignant? Profecto hæc, & his ſimilia Moyſem non translatum, ſed vere mortuum apertiſſime comprobant. Quod ſi etiam concedamus, eum in monte Thabor apparuiſſe cum Elia proprio, & vero corpore; ſtatim tamen inferri non poteſt, eum translatum ſine vitæ deceſſione. Deus enim, qui eum ſepeliendum curaverat, potuit ejus corpus ex ſepulcro evocare, vel animam corpori rurſus conjungere, atque ita, transfigurationi ut inter-

Digitized by Google

eſſet, efficere. Neque vero ullo modo gloria primogenituræ mortuorum ab Apoſtolo 1. ad Corinthios cap. 15. & ad Coloſſenſes c. 1. Chriſto attributæ a Moſe ei præripitur. Cum enim Chriſtus dicitur fuiſſe primitiæ dormientium, & primogenitus mortuorum, talis ei prærogativa aſſignatur, quia nimirum primus ex ſe, non alieno auxilio adjutus, mortis jugo excuſſo, comminutis, & diſruptis catenis reſurrexit, aliiſque beneficium reſurrectionis promeruit; Moyſes autem non propria virtute ab inferorum ergaſtulis, mortiſque vinculis ſe liberavit, ſed a Deo per Chriſtum reſuſcitatus, & in cœlum translatus eſt.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO XXII.

Judic. c. 8. verſ. 27.

וַיַּעַשׂ אוֹתוֹ גִדְעוֹן לְאֵפוֹד וַיַּצֵּג אוֹתוֹ
בְעִירוֹ בְּעָפְרָה׃

Fecitque ex eo Gideon Ephod, & poſuit illud in civitate ſua Ophra.

MAgna eſt inter Interpretes diſſenſio de אֵפוֹד Ephod a Gideone in civitate Ophra conſtituto, in quo Iſraelitas eſſe fornicatos, narrant Scripturæ. Procopius eo nomine Idolum ſignificari exiſtimat. Trophæum victoriæ, quæ præcedenti capite ſeptimo deſcribitur, a Druſio, Junio, Tremellio, Aria Montano cenſetur, Auguſtini autem, Theodoreti, Lyrani ſententia eſt, omnes veſtes

Digitized by Google

Pontificis, & ornamenta per Ephod hoc loco intelligi. Huic poſtremæ ſententiæ nos quoque adſtipulamur utpote probabiliori, vel ipſa vocis etymologia permoti, atque compulſi. Cum enim Ephod a radice Hebraica אָפַד derivetur, quæ ubique in Sacra Scriptura de veſte corpori accommodanda uſurpatur, cur vocem Ephod pro veſte non accipiamus; præſertim cum de veſte tum licita, tum illicita ſæpiſſime in Sacra Scriptura adhibita reperiatur? Licita quidem utebantur Sacerdotes, eratque vel ex auro contexta κατ' ἐξοχὴν Ephod dicta, vel ex lino contecta. Auream induere tantummodo Pontifici Maximo licebat, cum munere ſuo fungeretur, Deumque conſulturus de rebus ad rempublicam Judaicam pertinentibus ad tabernaculum, vel templum accederet. Lineo vero Ephod non tantum Sacerdotes, ſed

&

& Levitæ induebantur. Hinc Samuel puer lib. 1. Samuel. cap. 2. v. 8. miniſtrabat coram Deo tanquam Levita indutus Ephod lineo. Illicitam etiam veſtem, licet rarius, vox Ephod deſignavit, ut Ephod Micæ, Ephod etiam Gideonis, ut nonnullis placet, de quo in præſens non quærimus. Cum autem loci Ophra, urbis Gideonis, mentio fiat; facile colligitur, cur in ea ſtatutum Ephod perhibeatur. Cum enim in eadem urbe antea juſſu Dei altare holocauſti a Gideone eſſet extructum, recte infertur, Gideonem Ephod ornatum Pontificalem in hac urbe ſtatuiſſe, ut Pontifex, qui in Silo non longe aberat, hoc uteretur ſacra facturus; quod Ephod deinde, ut infra habetur, הָיָה לְגִדְעוֹן וּלְבֵיתוֹ לְמוֹקֵשׁ, *factum eſt Gideoni, & domui ejus in ruinam*, vel quod Iſraelitæ eo abuſi ſunt ad cultum Baalim, vel quod citra manda-

tum Dei ſpeciale extra tabernaculum illud adhibuerunt . Urgent nonnulli verbum יָצַג uſurpari de re firma , & ſolida , quæ in aliquo loco collocata per ſe conſiſtat ſine adminiculo , quo ſuſtentetur . At ſexcentos locos , & exempla ex Sacra Scriptura depromta licet in medium proferre, ubi lata ſignificatione de quacunque re conſtituta , ordinata , vel in aliquo loco poſita adhibetur . Sic capite præcedenti 7. Judic. v. 5. כֹּל אֲשֶׁר יָלֹק בִּלְשׁוֹנוֹ מִן הַמַּיִם תַּצִּיג אוֹתוֹ לְבָד׃, *omnis, qui lambuerit lingua ſua de aquis , conſtitues eum ,* h. e. locabis , *ſeorſim* : & cap. 6. v. 37. הִנֵּה אָנֹכִי מַצִּיג גִּזַּת הַצֶּמֶר בַּגֹּרֶן׃ *ecce ego ſtatuens* , h. e. ponens , collocans *vellus lanæ in area* . Sic Job cap. 17. v. 6. וְהִצִּיגַנִי לִמְשֹׁל עַמִּים , *& conſtituit me* , h. e. ordinavit *in parabolam populorum* . Sic Amos cap.

5. v.

5. v. 15. שִׂנְאוּ־רָע וְאֶהֱבוּ טוֹב וְהַצִּיגוּ מִשְׁפָּט, *odio habete malum, & diligite bonum, & ſtatuite*, h. e. ordinate, *judicium*. Itaque ex hoc loco colligitur, Gideonem conſtituiſſe, h. e. præcepiſſe, ut Ephod Pontificale a ſe confectum in Ophra civitate ſua adhiberetur a Sacerdote ex Silo accerſendo, & in ara holocauſti, a ſe juſſu Dei extructa, ſacra facturo.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO XXIII.

Pſalm. 2. verſ. 12.

נַשְּׁקוּ־בַר פֶּן־יֶאֱנַף וְתֹאבְדוּ דֶרֶךְ ;

Oſculamini filium, ne iraſcatur, & pereatis de via.

Hæc eſt vera, & germana horum verborum ſignificatio contra Judæos, qui aliter illa interpretantur, ut ſacroſanctum Trinitatis myſterium a ſacris literis amandent.

EA eſt Pſalmorum dignitas, & præſtantia, ea rerum, quæ in iis continentur, magnitudo, atque ubertas, ut vel in Alcorano ſæpe honorifica de iis mentio fiat, ipſorumque origo non minus, atque legis Moſaicæ, divina commemoretur. Sed licet vel a Mohammediſtis

ma-

Digitized by Google

maximo in honore, ac reverentia habeantur; tantum tamen abeſt, ut Judæi verum, ac germanum eorum ſenſum aſſequi velint, ut etiam de induſtria multos locos impudentiſſime detorqueant, & tanquam cæci a ſcopo quam longiſſime aberrent. *Sane non ibimus inficias*, inter omnes *Sacræ Scripturæ* libros nullum eſſe abſtruſis, & reconditis myſteriis pleniorem, neque cum ob verborum brevitatem, tum ſententiarum pondus, intellectu difficiliorem pſalmorum volumine; difficultas tamen hæc non mediocriter inde creſcit, quia ad eorum lectionem Judæi accedunt præjudicio contra Meſſiam, Chriſtique fideles magno, periculoſoque occupati. Quamobrem jure inter veritatis amicos recenſendi non ſunt, quos ipſi Judæorum magiſtri a Deo Optimo Maximo præ ceteris mortalibus amari ſcriptum reliquerunt; quippe qui nullo ſolido fundamen-

Digitized by Google

to innixi, nulla firma ratione ſuffulti ſententiæ ſuæ variæ, atque abſurdæ intemperanter indulgent, cæcoque impetu acti eam mordicus tenent, obſtinateque defendunt. Quæ, malum, iſthæc impudentia eſt, & amentia, quæ ſimplici, & nudæ veritati tenebras conatur offundere, & ſolidam, germanamque eruditionem de medio tollere? Quomodo enim pertinax, & cerebroſus homo veritatem reconditam e tenebris eruat, accurate expendat, ad lydium, ut dicitur, lapidem prudenter æſtimet, cum, quod ſemel ex libidine placuit, idem ſemper ex cæco impetu arrideat, quia *ſic vult, ſic jubet, & ſtat pro ratione voluntas*? Itaque ut brevi ſummam Judæorum perfidiam, atque impudentiam deprehendamus, & deteſtemur, placet examinare textum Pſalmi 2. v. 12. qui ita habet: נַשְּׁקוּ־בַר פֶּן־יֶאֱנַף

וְתֹאבְדוּ

Digitized by Google

וְתֹאבְדוּ דֶרֶךְ:, pro quo tanquam pro aris, & focis infeliciter pugnant, & ſpirtu impuriſſimo, mendaciorum patre, diabolo compulſi στρεβλοῦσι τὰς γραφὰς πρὸς τὴν ἰδίαν ἀυτῶν ἀπώλειαν, ne æternum Dei filium inde agnoſcere, & venerari cogantur. Putidæ profecto ſunt, & ridiculæ interpretationes, atque adeo detorſiones, quas unanimi conſenſu Rabbini his vocibus נַשְּׁקוּ־בַר attribuunt; cum alii verbum נָשַׁק ſignificationem armandi, alii cingendi, alii eligendi, appetendi alii habere contendant; בַּר autem puritatem, frumentum, proventum denotare temere, & pervicaciter urgeant, Sed ut ab ovo, ut ajunt, ad poma progrediamur, firmiſſimum ſententiæ noſtræ fundamentum ſubſternentes aimus, נַשְּׁקוּ־בַר ſignificare *oſculamini filium*, neque id Rabbino-

norum more temere ex ſententia noſtra affirmamus, ſed ipſa natura verbi, ejus objecto, textus ſerie, ſcripturarum collatione, conſenſu virorum Hebraice doctiſſimorum, recteque hac in re ſentientium autoritate commoti, atque compulſi. Age igitur cominus agamus cum protervis iſtis,. ipſorumque ferociam, & petulantiam temere debacchantem ſtatim contundamus. Quoniam autem juſtis armis congredi juſtum eſt, proferant in medium, ſi poſſunt, vel unum Sacræ Scripturæ locum, in quo verbum נָשַׁק aliam, quam oſculandi, ſignificationem admittat, libentique animo ſtatim manus dabimus. Dies nos, & vox ipſa deficiat, ſi recenſere velimus eos omnes locos, qui pro nobis in Sacra Scriptura faciunt. Lege Canticum Canticorum, verbumque נָשַׁק de oſculo ab anima fideli Chriſto ſponſo figendo ſæpe uſurpa-

Digitized by Google

patum animadvertes. Hinc ad profitendum amorem mutuum, benevolentiam, atque humanitatem oſculo olim utebantur homines Proverb. c. 24. v. 26. Sic amoris oſculum Jacob, & Rachel olim congreſſi ſibi invicem fixerunt Geneſ. c. 29. v. 11. & Laban v. 13. & Eſau reconciliatus c. 33. v. 4. Joſeph, & fratres c. 45. v. 15. Jacob, & nepotes c. 48. v. 10. Moſes, & Aaron Exod. cap. 4. v. 27. David, & Abſalom lib. 2. Samuel. c. 14. v. 33. & alii quamplurimi. Quod oſculum elegantiſſime ad juſtitiam, & pacem translatum legitur Pſalmo 86. v. 11. צֶדֶק וְשָׁלוֹם נָשָׁקוּ, *juſtitia, & pax oſculatæ ſunt*. Cum autem inter conſanguineos hæc oſculandi conſuetudo maxime vigeret, *oſculum propinquorum* vocabatur apud Hebræos נְשִׁיקָה שֶׁל פְּרָקִים; quod idem altero vocabulo dicebatur נְשִׁיקָה שֶׁל

פירושות

ſignificationem metonymice habet, quæ poſtrema ſignificatio textui noſtro eſt tribuenda, cum proprie, & primario oſculum honoris, & ſubjectionis publicæ ſignificet, deinde cultum vere divinum, & religioſam, piamque adorationem Chriſto v. 2. omnium gentium Regi v. 6. vero, æternoque Dei filio omni jure, omnique ratione præſtandam. Quod vero attinet ad vocem בַּר, quanquam in ſe, & abſolute conſiderata plura ſignificare poſſit, in contextu tamen poſita certæ, & peculiari ſignificationi ita alligatur, ut plura uno, eodemque loco nequeat denotare. Cum itaque Meſſias ſuperiori verſiculo ſeptimo filius a Deo ſit nuncupatus, & verſiculo undecimo, ubi ad eum colendum Reges terræ excitantur, eadem vox occurrat, quæ ex ipſius Sacræ Scripturæ conſuetudine, & uſu filium ſignificat, ut Eſdræ cap.

Digitized by Google

5. v. 1. Proverb. cap. 31. v. 2. Daniel. cap. 3. v. 25. & cap. 5. v. 22. cap. 7. v. 13. omnino exigit res ipſa, ut unam filii ſignificationem ei tribuamus, non aliam, quam vox alioquin extra hunc contextum poſita poſſet habere. Præterea ſententiam noſtram objectum ipſum ſtabilit, atque confirmat. Quis enim neget de ipſo Dei filio oſculando hoc loco ſermonem eſſe, cum ſubjectum religionis, cultus, & adorationis alius eſſe non poſſit, quam Deus, ut colligitur ex Deuteron. cap. 10. v. 20. אֶת־יְהוָה אֱלֹהֶיךָ תִּירָא אֹתוֹ תַעֲבֹד׃, *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies?* Cum igitur de בַּר, hoc eſt *filio* tanquam de objecto cultus religioſi mentio fiat, cur idem tanquam ſubjectum a prædicato non requiratur? Hunc vero filium ipſum eſſe æternum Dei filium, Dominum, & Salvatorem no-

noſtrum Jeſum Chriſtum Spiritus Sancti interpretatio, infallibile D. Petri, & D. Pauli teſtimonium confirmat. Actorum enim cap. 4. v. 25. D. Petrus ait: *qui Spiritui Sancto per os Patris noſtri David pueri tui dixiſti: quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Convenerunt enim vere in civitate iſta adverſus ſanctum puerum tuum Jeſum, quem unxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Iſrael facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri.* D. autem Paulus ad Hebræos cap. 1. v. 5. habet: *cui dixit aliquando Angelorum: filius meus es tu, ego hodie genui te?* & rurſum: *ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium?* Quid quod ipſa textus ſeries idem evincit? Præterquamquod enim totus pſalmus de filio Dei a-

git, verba, quæ ſequuntur פֶּן־יֶאֱנַף & אַשְׁרֵי כָּל־חוֹסֵי בוֹ, *ne forte iraſcatur*, & *beati*, *qui confidunt in eo*, neceſſario ad ſubjectum aliquod ſunt referenda, quod nullum aliud eſt, quam בַּר, hoc eſt *filius*. Itaque cum Tertulliano, Juſtino martyre, Cajetano, Folengio, Eugubino, Genebrardo, & aliis defendimus verba illa נַשְּׁקוּ־בַר ſignificare *oſculamini filium*, atque inde deſumi poſſe efficax, & luculentum argumentum pro divinitate Meſſiæ contra Judæos. Quanquam autem D. Hieronymus Hebraicæ linguæ peritiſſimus in Apologia contra Ruffinum verba illa נַשְּׁקוּ־בַר reddiderit *adorate pure*; nihilominus idem affirmat, ſe non eſſe opinatum, hanc eſſe veram illorum verborum ſignificationem. Ita enim ſe reddidiſſe ibidem profitetur, non quod revera ita ſentiret, ſed timore,

Digitized by Google

re, & metu compulſum amittendæ apud Judæum magiſtrum ſuum gratiæ, quem magnis ſumtibus alebat. Alibi enim libere, quid ſentiret, profeſſus reddidit *adorate filium*. Itaque D. Hieronymus ex נַשְּׁקוּ־בַר religioſam, piamque Chriſti adorationem cum vera filiatione aſſeruit, utpote qui fontes diviniſſimos accurato ſtudio conſuluit. Cum autem tranſtulit *adorate*, profecto innuit, ſe veluti Interpretem non tam Hebrææ, quam Latinæ linguæ, in quam verba Hebraica vertenda erant, rationem habuiſſe, cum Latinis utpote Occidentalibus oſculandi conſuetudo parum eſſet nota, neque ut Orientalibus admodum recepta.

Digitized by Google

QUÆSTIO XXIV.

Pſalm. 22. v. 17.

כִּי סְבָבוּנִי כְּלָבִים עֲדַת מְרֵעִים הִקִּיפוּנִי
כָּאֲרִי יָדַי וְרַגְלָי׃

Vulgata. *Quoniam circumdederunt me canes multi; concilium malignantium obſedit me, foderunt manus meas, & pedes meos.*

CUm Judæi Meſſiæ paſſionem, & mortem temere, & pervicaciter negent, factum eſt, ut complures tum ex Chriſtianis, tum ex Heterodoxis eam animo ſententiam imbiberint, ut illos de induſtria in Chriſtianæ fidei odium multos ſacrarum ſcripturarum locos, ubi de iis agitur, depravaſſe, & corrupiſſe exiſtiment. Si autem ullibi hujuſmodi corruptionis Judæos inſimulant, in Pſalmo potiſſimum

Digitized by Google

22. v. 17. malitioſam ab iis mutationem factam eſſe cenſent, ne de Meſſiæ crucifixione reprehenſi viderentur. Quare, ut cognoſcamus, utrum tantum ab ipſis patratum ſcelus, & ſacrilegium ſit, placet verba ipſa expendere, & in Hebræi textus puritatem inquirere. Ille igitur ita habet: כָּאֲרִי יָדַי וְרַגְלָי׃. Ex hoc igitur textu nullo modo Judæos arguendos putamus, cum ex ipſo prophetia inſignis crucifixionis Meſſiæ eruatur, & perforatio manuum, pedumque clare ſignificetur. Novimus optime, multos tum ex Catholicis, tum ex Proteſtantibus in reſtituenda veritate Hebraica admodum laborare, ut Judæis oſtendant, de Meſſia hic ſermonem eſſe, cogantque vel invitos ejus mortem confiteri. Præſtat id inter ceteros Ludovicus de Dieu contendens כָּאֲרוּ, & כָּאֲרִי idem

valere. Inquit enim כָּאֲרִי eſſe infinitivum conjugationis pihel a verbo inuſitato כאר ad ſimilitudinem verbi Syriaci ܟܐܪ, & habere ſignificationem *fœdandi*, quaſi confodiendo fędarint. Sed cum nulla neceſſitate compellamur, ut a lingua Syriaca vocis Hebręæ ſignificationem petamus, neque per eam dictionis Hebręæ emphaſis ſatis exprimatur, hujuſmodi interpretationem eum ſibi habere libenter patimur. Ex Avenario autem Grammaticæ parte tertia כָּאֲרִי componitur ex כָּרָה *fodit*, & אֲרִי *leo*, docetque ſignificare *foderunt ſicut leo*. Sed licet in Sacra Scriptura aliquando ex duabus dictionibus una fiat, nunquam tamen unam, eandemque literam radicalem, & ſervilem eſſe reperies. Quorſum autem novam, nullique Hebræo Grammatico adhuc auditam ſenten-

tiam

Digitized by Google

tiam excogitemus, cum textus integritatem alia ratione commodius defendere poſſimus? Chriſtiani igitur fere omnes Maſoretharum autoritate innixi pro varietate lectionis habent; ſcribarumque errore, mutato ו in י, ex כָּאֲרוּ factum fuiſſe כָּאֲרִי exiſtimant, præſertim cum LXX multo ante Chriſtum tempore ὤρυξαν reddiderint, eoſque ſecuti ſint Syrus ܒܙܥܘ, Arabs ثقبو, & Æthiops vertendo *perforarunt*. Patet igitur, hunc Pſalmum de populo Iſraelitico non agere, ut R. Salomò, Jarchì, Kinchì, Manaſſe ben Iſrael, aliique congerrones fruſtra probare annituntur, ſed de Meſſia, cum de ſingulari perſona ſermo ſit, ut ex ipſo contextu apertiſſime colligitur. Verum R. Lipmannus in Nitzachon crimen in Chriſti fideles retorquet, & ab ipſis corruptum, & adulteratum eſſe iſtud vaticinium ex eo probare conatur, quod

Chriſtus id temporis paſſus ſit, cum poteſtas capitalium ſuppliciorum populo Judaico jandiu eſſet ademta, & judicia juxta Romanorum jus, & conſuetudinem exercerentur. Scimus, & fatemur nos quoque, Chriſto irrogatum ſupplicium juxta alienos mores, eaque pœna ipſum multatum concedimus, qua affectum iri multo antea divinus vates prædixerat; ſatiſque a criminatione Lipmanni vindicatos Chriſti fideles novimus interpretatione LXX, qui & כָּרוּ legerunt, & reddiderunt ὤρυξαν. Neque vero fides Euangeliſtarum in dubium vocanda eſt, quaſi a Judæis ipſis hoc ſupplicium Chriſto inflictum exiſtiment. * Licet enim in Novo Teſtamento habeatur, παρέδωκαν αὐτὸν οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ οἱ ἄρχοντες εἰς τὸ κρίμα, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν: *eum tradiderunt ſummi Sacerdotes, & principes in damnationem mor-*

* *Luc. cap.* 24.

Digitized by Google

mortis, *& crucifixerunt eum*; ſenſus tamen horum verborum non eſt, eos veluti judices ſententiam tuliſſe, juriſdictionem exercuiſſe, & ipſum ſuſpendi juſſiſſe; ſed calumniis, criminationibus, vociferationibuſque in cauſſa fuiſſe, ut crucifigeretur. Id patet ex loco tribunalis, in quem Pilatus proceſſit, ex miniſtris militibus Romanis, ex pœna Romanorum legibus ſeditioſis illata, ex titulo crucis a Pilato dictato, ex corpore denique defuncti ab ipſo petito.

.:. ܫܘܒܚ ܐܠܗܐ ܠܡܫܝܚܐ .:.

IN-

INDEX RERUM
Præcipuarum.

A

AAron Maximus gentis Judaicæ Sacerdos, & typus Jeſu Chriſti. 78.
Abarbenel locum Deuteron. cap. 18. v. 15. detorquet. 111. Ejuſdem opiniones de Azazele. 91. 92. 93.
Adam, & Eva veſtibus revera pelliceis a Deo induti ſunt. 27.
Adamo unica lingua a Deo infuſa. 39.
Agnus Paſchalis comedebatur ineunte die decimo quinto Niſan, h. e. Martii. 56.
Athei; & heterodoxi malitioſe S. Scripturam impugnant. 105.
Azazel non fuit mons, ut volunt Hebræi. 88. Azazelis ſignificatio. 88.
Azymi panes quo tempore comederentur. 59.

B

BEata Maria Virgo Gen. cap. 3. v. 15. ſignificatur. 20.
Blaſphemiæ pœna ab ipſo Deo primũ ſancita 2.

C

CAinan ex Patriarcharum genealogià eſt expungendus. 45.

Cauſ-

Cauſſa diſſidii inter Mariam Aaronis ſororem, & Zipporam Moſis uxorem quanam fuerit. 103.
Chriſtus quo ſenſu dicatur primitiæ dormientium, & primogenitus mortuorum. 116.
Paſſus eſt eo tempore, quo capitalium ſuppliciorum poteſtas Judæis erat ademta. 148.
Circumciſio a Moſe neglecta. 54.
Critici Judæi non fuerunt Spiritu Sancto afflati. 22.

D

D*Eum prima hora diei ſeptimi opus creationis compleviſſe quidam ex Hebræis ſunt arbitrati.* 9.
Deus in Sacra Scriptura per Angelos plerunque apparuit. 64 65.
Uni modo excitandi prophetas non erat adſtrictus, ut contendit R. Abarbenel. 111.
Die eodem egreſſi ſunt Hebræi ex Ægypto, quo Paſcha primum comederunt. 60.
Dies naturalis apud Hebræos a veſpera incipiebat. 57.
Deuteron. locus cap. 18. v. 15. de ſolo Chriſto eſt intelligendus, non etiam de aliis prophetis. 109. 110.
Diſſidii cauſſa inter Mariam Aaronis ſororem, & Zipporam Moſis uxorem quanam fuerit. 103.
Divino nomini reverentia habenda. 2.

Digitized by Google

E

ELias cum Moyſe in monte Thabor apparuit. 115.
Ephod Gideonis quid fuerit. 117.
Ephod quotuplex fuerit. 118. Quinam eo uterentur. 118. 119.

F

FEmina הַצֹּבְאֹת ſpecula Aaroni obtulerunt. 73.

G

GIdeonis Ephod quid fuerit. 117.
Grammaticorum contentiones de legendo nomine יְהוָה. 3.

H

HEbraicus Scripturæ textus a Judæis non fuit depravatus. 31.
Hebræa lingua fuit omnium prima. 39. Simplex eſt, & pura, 40. Ejuſdem laus. 43. 44.
Hebræi genera promiſcue uſurpant. 21.
Hebræi ex Ægypto egreſſuri Paſcha primum comederunt. 60.
Hebræorum traditio de capro emiſſario. 89.
Hirci duo Levitici cap. 16. oblati quid ſignificarint. 85.

Hir-

Hircus in deſertum abactus cur a LXX *dictus* ἀποπομπαῖος. 88.
Hiſtoria de colloquio ſerpentis cum Eva proprie, non allegorice eſt intelligenda. 10.

I

INterpretes interdum nomina propria, in quibus emphaſis latet, lingua ſua explicant. 41.
Iſaaci effigies cur male a multis depicta. 67
Judæi veſtem tribuunt primis parentibus ante peccatum. 25. *Locos S. Scripturæ ad Meſſiam ſpectantes detorquent.* 106. *Deuteron. locum cap.* 18. *v.* 15. *varie interpretantur.* 108.

L

LAbrum, de quo mentio fit Exodi c. 38. *ex qua materia fuerit conflatum.* 74. 75.
Lex in V.T. tradita eſt per Angelos. 65.
Lingua Hebræa ſimplex eſt, & pura. 40. *Ejuſdem laus.* 43. *Fuit omnium prima.* 39.
Lingua unica a Deo Adamo infuſa. 39.
LXX Interpretes magis habuerunt rationem ſenſus, quam literæ in vertenda S. Scriptura. 8.

M

MEſſias Deuteron. cap. 18. *v.* 15. *indicatur.* 107.
Mohammediſtæ Pſalmos reverentur. 122.

Mo-

Digitized by Google

Morituris juxta Rabbinorum traditionem Sammael Angelus mortis aſtat. 70.

Mors immatura Moſi propter peccatum illata. 113.

Mos conſulendi oracula apud Romanos unde deductus. 83.

Moſis nomen Hebraicum eſt. 49. *Ei inditum a filia Pharaonis.* 50. *Cetera nomina ab Hebræis ipſi indita ſunt allegorica.* 51. *Circumciſio a Moſe neglecta.* 54. *Fuit monogamus.* 100. *Ejus uxor Zippora.* 54. 98. *Qua occaſione in matrimonium ipſi tradita.* 101. *Quærit Dominus ipſum interficere.* 53. *Quam ob cauſſam.* 54. *Cur in S. Scriptura cornutus dicatur.* 66. *cum Elia in monte Thabor apparuit.* 115. *Ejus cura populus Iſraeliticus a Deo concreditus.* 72. *Dei juſſu fuit repentina morte correptus in monte Abarim.* 114. *Revera mortuus eſt, non in cœlum tranſlatus.* 114.

N

Nomen Dei Tetragrammaton ſemel tantum quotannis a Summo Sacerdote pronunciabatur. 3. *Præ ceteris Dei nominibus apud antiquos Hebræos in honore habitum* 3. *Pronunciandum per* Adonai, *non per* Jehovà. 4.

Nomina propria in hiſtoriis mutari non ſolent. 41.

Ora-

O

ORacula conſulendi mos apud Romanos unde deductus. 83.
Oſculandi mos apud Orientales receptus. 128.
Oſculari quid in S. Scriptura ſignificet. 128. 129.

P

PAnes azymi, & agnus Paſchalis eodem die comedebantur. 59.
Peccatum fuit cauſſa mortis immaturæ Moſi. 113. *Omnes calamitates in mundum invexit*. 10.
Pelliceis veſtibus a Deo primi parentes induti ſunt. 23. *Quare id factum*. 26. 27.
Pellium uſus apud antiquos. 27. 28.
Philonis opinio de ſpeculis a mulieribus הַצֹּבְאֹת *oblatis ad cultum divinum*. 75.
Plaga ultima Ægyptiis per Angelos eſt inflicta. 62.
Poetæ, & pictores in fingendo ſimiles ſunt. 66.
Pœna blaſphemiæ ab ipſo Deo primum ſancita. 2.
Pœna capitis decreta antiquitus contra pronunciantes nomen יְהוָֹה. 3.

Pœ-

Pœnitentiæ ſpatium , non vita humana Geneſ. cap. 6. v. 3. determinatur . 34.

Pontifici Maximo tantummodo licuit interrogare Deum per Urim , & Tummim . 83. 84.

Præpoſitio ב *quid potiſſimum ſignificet . 74.*

Pſalmi intellectu difficiliores ſunt ceteris Sacræ Scripturæ libris . 123. A Mohammediſtis magno in honore habentur . 122. Eorum dignitas maxima . 122.

Pulcra naturæ vi ad ſui acquiſitionem homines excitant . 77.

R

R*Abbinorum traditio de Sammaele* מַלְאַךְ מָוֶת, *ſc.* angelo mortis . 70.

S

S*Acrificia , quæ quotannis apud Hebræos* יוֹם הַכִּפּוּרִים *h. e.* die propitiationis *offerebantur . 86.*

Sacrificia ſingula in Levitico ſpirant cœleſtia Sacramenta . 86.

Sammael Angelus mortis . 70. Quid de eo tradant Rabbini . 70.

Sancti Patres hiſtorias omnes ex LXX verſione olim compilabant . 48.

Sententiæ variæ de vocibus בֵּין הָעַרְבַּיִם *E-*

xodi

Digitized by Google

xodi cap. 12. *adhibitis*. 57.
Serpens cum Eva vere collocutus eſt. 12. *Tanquam organum a diabolo eſt adhibitus ad ſeducendam Evam*. 16. *Ipſum fuiſſe calamitatum omnium autorem tum Catholici, tum Judæi concedunt*. 11.
Specula qua materia conſtarent apud antiquos. 76.

T

TEraphim quid fuerint. 82.
Textus Hebraicus Sacræ Scripturæ a Judæis non fuit depravatus. 31.
Traditio Hebræorum de capro emiſsario. 89.
Traditio Orientalium eſt, Deum ad veſperam Adamo apparuiſſe. 18.

V

VErba ego Dominus *quam vim in S. Scriptura plerunque habeant*. 64.
Verbum cornu *in S. Scriptura quid ſignificet*. 71.
Verbum מוּת mori *in S. Scriptura ſemper de vera, & naturali morte uſurpatur*. 114.
Verbum רוּח ventus *in S. Scriptura de quolibet vento uſurpatur*. 19.

Veſ-

Digitized by Google

Veſpera duplex apud Hebræos. 58.
Veſtibus pelliceis a Deo Adam, & Eva induti ſunt. 23.
Veſtium mutatio calamitates ferme portendit. 23. *Venetorum, & Helvetiorum legibus vetita.* 24.
Victima cultro, non gladio jugulabantur. 68.
Vox כּוּשִׁית *quid ſignificet.* 98.
Urim, & Tummim ſunt voces origine Hebrææ. 79. *Quid fuerint, non conſtat inter autores.* 80. *Fuerunt quid diſtinctum a duodecim gemmis* חֹשֶׁן, *hoc eſt;* pectorali *inſertis.* 81. *Non fuerunt* תְּרָפִים teraphim. 82. *Sacerdoti Maximo tantummodo licuit per Urim, & Tummim Deum interrogare.* 83. 84.

Z

Zippora uxor Moſis. 54. 98. *Cur dicta* כּוּשִׁית. 98. 99. *Fuit Æthiopiſſa.* 98. 99. *Ejus patria fuit Midian.* 99. 100. *Qua occaſione Moſi in matrimonium tradita.* 101. *Quam ob cauſſam digladiata ſit cum Maria Aaronis ſorore.* 103. *Fuit filia Sacerdotis Jethro.* 100.

FINIS.

EMANUELE ... BIBLIOTECA ...
MAG 2011769
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google